

Uf 5340

Hierin eine Tafel

Alles was erobert

~~F H 2 5 9 2~~



257,139



SIDR0014417

Biblioteka Jagiellońska

Uf 5340 (587470 I)





FASCICULUS
RERUM CURLANDICARUM
PRIMUS,

CONTINENS.

- | | |
|--|--|
| 1. Formulam Regiminis Curlandiæ de An. 1614. | 4. Privilegia Nobilitati à Duce Gotthardo 1570. concessa, confirmata 1581. |
| 2. Curländische Statuta. | 5. Formulam des Vertrages zwischen Dennemarc und Pohlen das Curi- sche Bisthum betreffend. |
| 3. Die Scheidungen und Gränzen zwischen dem Stift Curland und dem Teutschen Orden. | 6. Nonnulla Diplomata Curlandica. |
| 7. Kurze und wahrhaftige Vorstellung der Herzogen von Curland ihres Sitzes, und der dazu kom- menden Hoheit. | |

CUM PRÆFATIONE
DE
JURE

SVEOGOTHORUM IN CUR-
LANDIAM

pervetusto,

Nunc primum ex MS. in lucem editus

A

CHRISTIANO NETTELBLADT,
J. U. D. & PROF. JUR. ORD. REG. GRYPH.

ROSTOCHII,

Typis & Impensis IO. IACOB. ADLERI, SEREN. PRINC. & ACAD. Typogr.
ANNO M DCC XXIX.



SACRÆ REGIÆ MAJESTATIS
SUMMÆ FIDEI VIRO,
REGNI SVECIÆ SENATORI,
ILLUSTRISIMO ATQVE EXCELLENTISSIMO
COMITI AC DOMINO,
DN. GUSTAVO BONDE,
MÆCENATI GRATIOSISSIMO.

Ex
Bibliotheca
Generalis

1122042

IN
DEVOTISSIMÆ MENTIS ARGUMENTUM,
PERPETUO PRÆDICANDÆ CLEMENTIÆ MONUMENTUM,
AC
NUNQUAM INTERMORITURÆ OBSERVANTIÆ DOCUMENTUM
HUNC
RERUM CURLANDICARUM
FASCICULUM



SUBMISSA ANIMI VENERATIONE

HUMILLIME

DICAT CONSECRATQVE.

DEVOTISSIMUS CLIENS

CHRISTIANUS NETTELBLADT.



DISSERTATIO PRÆLIMINARIS
DE
PERVETUSTO SVEONUM JURE IN
CURLANDIAM.

§. I.



Rigo nominis *Curlandiæ*, cum in se satis obscura sit, variis eruditorum, conjecturis, iisque valde discrepantibus, occasionem dedit. *Einhornius* (1) *Curlandiæ* olim Superintendens, tres adduxit; quarum prima eorum est, qui regionem dictam à *Curetibus*, *Carriæ* incolis; altera eorum, qui ab *Caro*, regulo olim gentis *Curonum*; tertia denique eorum, qui

qui ab vocibus *Kur* & *Semme*, id est, *ubi terra?* denominatam volunt. Ad ultimam ipse accedit, eumque sequitur *Hermannus Becker* (2), qui rationem denominationis expositurus: *Ipsa quoque Curonia*, inquit, *originem suam ducit à nomine Livonico Cur & Semme, unde Germanica dictio conflatur, wo ist Land?* quod nomen antiqui Livoniae incolae usu triverunt, & ignorantia decepti adhibuerunt, rati, *Semgalliam totius Livoniae esse terminum.* Sed parum probabilitatis habet hæc opinio (3); ideoque nobis tantisper, donec verisimilior haberi queat, præferenda videtur sententia *Ill. Hermelini* (4), qui Curoniam a *Kauras*, quod veteribus Livoniae Porussiaeque incolis *planitiem* denotavit, appellatam existimat.

- (1) In *Historia Lettica*, A. 1649. Dorpati in IVto German. edita.
- (2) In *Disp. Witteberg. Ia. de Livonia Prop. I.*
- (3) *Conf. Hiernerus in sinem Est. Lieff. und Lettländischen Geschichten MSC. Lib. I.*
- (4) In *Diff. de Origine Livonorum* §. XII, pag. 25.

§. II.

Quam in nominis, eandem & in populi ipsius Curlandici origine designanda inter eruditorum sententias deprehendimus dissonan-

sonantiam. Alii (1) ut nomen, ita & gentem ipsam è *Caria* advocant, alii eam è *Gothia* (2) occidentali, ortam arbitrantur. Majori, puto, jure è *Finlandia* arcessenda esset, ex qua *Esthios* (3) deducit, *Ill. Hermelinus*, ad mores, ritus linguamque utriusque populi probationis loco provocans, quod de *Curonibus* itidem obtinere dubitare non licet. Interim tamen si cui non satis concludere videbitur hoc argumentum, nulli ea de re litera movebimus.

(1) Vid. *Beckerus* in *diff. Witteb. de Livonorum Veterum Origine, sedibus, &c.* §. 5. qui hanc opinionem nec plane rejicit, nec tamen probat.

(2) Vid. *Beckerus* in *Diff. cit.* §. 2. ubi: *Reperiuntur*, inquit, *alii hac imbuti sententia, Lettios Westrogotibus originem suam debere. Quae sane opinio non caret fundamentis, sed veritati satis consentanea videtur. Conf. Rhaneus in Diatrib. Hist. de Curlandica Gentis origine.*

(3) Mentem suam in *Diff. cit.* §. XI. pag. 24. his verbis promit: *Proinde cum lingua & mores origines gentium quaerenti certissimam facem praferant, Esthios, qui hodie in Livonia colunt, initio eandem cum Fennis gentem fuisse, non dubius affirmo.*

§. III.

CUrones olim *Scyrorum* & *Hirrorum* nomine venisse;

venisse, auctor est (1) *Saxo Grammaticus*. *Hermelinus* (2) dubitat. *Hiernerus* (3) *Hirros Plinii* tractus *Harriensis* in *Esthonia* incolas esse, autumat. *Scyris* autem in *Livonia* locum dare detrectat, cum tamen utrosque conjungat *Plinius*. Rectius utrosque *Esthios* facit *Spenerus* (4), quanquam *Scyros* cum *Cluverio* (5) in *Porussia* locat, quod quo jure fiat, nondum satis intelligo. Probabilior mihi videtur sententia *Dni à Lobden*, *Scyros* in *Livonia* olim habitasse, eosdemque fuisse cum iis, quos hodie *Wirros* dicimus, statuentis (6). Ceterum *Hirros* & *Herulos* eundem fuisse populum, cujus reliquiae in agro *Megapolitano Werlorum* nomine hodieque supersint, putat *Hartknochius* (7); Sed argumentis parum firmis instructus.

(1) In *Hist. Dan.* Lib. VIII. p. 152.

(2) In cit. *Diff.* §. XII. p. 25.

(3) In sup. cit. *Hist. Livon.* Lib. I.

(4) In *Notitia German. Antiqu.* Lib. VI. Cap. I. §. 4. pag. 193. De *Scyrorum* rebus bellicis vid. *Consultiss. Dn. D. Mascovius* in *seinen Geschichten derer Teutschen bis zum Anfang der Fränckischen Monarchie* Cap. X. §. 7. 10. & passim.

(5) In

(5) In *German. Antiqu.* Lib. III. Cap. 46. p. 695.

(6) In *Epit. Histor. Rerum in Livonia, Esthonia, Lettia & Curlandia gestarum* MSC. Lib. I. Cap. I. pag. m. 29. *Scyros* eos ipsos intelligendos esse, ait, qui hodie *Wiri*, ac posteris, quod idem est *Wieri* vel *Viri* dicuntur. *Conf. Huitfeld* in *Hist. Dan.* pag. 185. siquidem facillime scriptione minus observata, ut non raro contingit, ambae literae SC. in unicum W potuere mutari.

(7) In *Selectis Disp. Histor. de Variis rebus Prussicis.* Disp. 2. §. 14. pag. 37.

§. IV.

AD statum *Curlandia* antiquam, imperii-que formam, quod attinet, sunt (1) qui *Poruffos* *Livonosque* universos, atque adeo & *Curones*, qui inter utrosque medii fuerunt, olim communem habuisse summum imperantem tradant, qui simul veluti *Papa* quidam & *Idololatriae* superstitionis supremus *Antistes* fuerit. Alii & *Curonibus*, & *Livonis* olim certos regulos imperitasse (2) ferunt, quorum posteritas in secula usque tempora duraverit. Contradicit quidem *Einhorn* (3), & qui hunc perpetuo sequitur *Hermannus Beckerus* (4), ea maxime ratione suffulti, quod in lingua horum populorum nulla suppetat vox, qua *Rex* designari

gnari possit. Quamobrem tum demum, si modo unquam, Curones sub Regibus esse coepisse, ait *Beckerus*, (5), cum se adversus arma Germanorum tueri necesse haberent. Sed objectioni *Einhornii* atque *Beckeri a Kelchii* (6) abunde satisfactum est, qui priorem sententiam non spernendis argumentis defendit. *Hiernerus* (7) de antiqua regiminis harum regionum facie nihil constare ait, nisi quod jam Svecis Gothisque, jam aliis populis, tributum pependerit.

(1) *Kelchius* in *seinen Liefländischen Krieges- und Friedens-Geschichten* pag. m. 46.

(2) Vid. *Dionysius Fabricius* in *Compendiosa Livonica Hist. Serie MSC. P. I. Cap. II. & Laur. Müllerus*, *Consiliarius olim Ducis Curlandiæ*, in *seinen Est- und Liefländischen Geschichten*. Verba Fabricii hæc sunt: *Habuit hæc gens olim quoque Regulos suos, quorum alter Libia-Rex, alter Curonia dictus fuit; uterque progeniem reliquit. Nam qui Libia & Lotavia dominabatur, inter Kirckholmum & Yxkul non procul Riga suam fixerat sedem, ubi & nunc reperiuntur ex ejus familia subditi, qui Regis nomine vocantur. Qui vero Curlandiam regebat, circa Grobinum habitabat, ubi & modo pagus integer est; ex cujus progenie sunt, qui præ ceteris hac libertate donati, ut censum non solvant Duci: nisi quod equos aliquot alere tenentur militares pro expeditionibus, ubi opus censetur.* *Funcius* in *Chronol. Lib. X. fol. 118. Cobbium* *quen-*

dam Regulum seu Principem Livoniæ facit: quamquam idoneis documentis destituitur.

(3) In *Histor. Lettica.*

(4) In *Diff. Witteb. de Livon. Veter. natura, repub. &c. Cap. 2. S. 2.*

(5) *Loc. cit.* Verba ejus sic fluunt: *Sentio cum Einhornio, quod Curoni, si quis inter eos apparuit, quem Regis nomine salutarunt, eundem contra Germanos, terra Livonica ab iis occupata elegerint, ut illos contra Germanorum imperium tueretur, terræque salutem procuraret.*

(6) In *seinen Liefländischen Friedens- und Krieges-Geschichten. P. I. pag. m. 46.* Rationibus autem utitur sequentibus. 1) Nondum evictum esse ait, vocem *Esthica* *Kunningas* & *Lettica* *Kunnings* Germanicæ, non domesticæ esse originis. 2) Non videre se, cur *Fabricius* & *Müllerus* *Regulos* aliquos finxissent, nisi suffragante veteri historia. 3) *Lettios* *Esthonesque* dominum & servum, imperantes & subditos lingua vernacula commode exprimere posse. 4) *Esthones* hodieque cantilena uti solere, quam a majoribus suis didicerunt, in qua *Regulorum* *Curonicorum* mentio fit. 5) Ex bellis, quæ gesserunt, facile conjici posse, talia non sine *Regum* ductu atque auspiciis gesta.

(7) *Loc. sup. cit.* Verba ejus lingua, qua usus est, hic adpenam: *Was die vormahlige Regierung dieser Bölscher betrifft, so hat man davon keinen weatern Bericht, als daß sie (doch zu unterschiedenen Zeiten) tributarii derer Gothen, Schweden &c. gewesen.* *Conf. Messenius* in *Scand. Ill. Tom. X. p. 2. seqq.*

§. V.

Quoniam igitur Curones Svecis Gothisque tributum pependisse audivimus, non alienum erit paucis disquirere, quando coeperit, quæque postea fata habuerit jus. Svecorum in Curlandiam. Et primo quidem, si *Johanni Magno*, (1) credimus, jam Abrahami Patriarchæ temporibus Svecis Gothisque cum populis, oras maris Balthici ad orientem incolentibus, assidua fuere bella, seu potius illi ab his excursionibus piraticis frequenter infestati sunt. Quas ut arcerent nostri, Sigtunam, inclitam, olim urbem, extruxisse, idem *Johannes Magnus* refert. Verum quidquid sit de excursionibus populorum dictorum piraticis, quæ arma Svecorum versus illas terras vocare facile potuerunt, Sigtunam non temporibus adeo remotis, sed paulo ante natum mundi Servatorem ab Othino Asiatico conditam, idonei Auctores (2) testantur. Nec ulla superest apud Scriptores, qui aliquo in numero sunt, belli inter Svecos Curonesque, cum finitimis, gesti mentio, prius-

priusquam ad tempora Berici seu Bericonis fuerit ventum.

(1) In *Hist. Goth. & Svecor.* Lib. I. Cap. 7. edit. Rom. pag. 24. Conf. *Hierner* in cit. *Hist. Livon.* MSC. Lib. II. ab init. & *Dnus a Lobden* in *Hist. Livon.* MSC. Lib. I. Cap. II. aliique.

(2) Vid. *Laur. Aschanai*, Pastoris in *Fresta & Hammarby*, Antiquarii Regni Sveciæ, Tr. MSC. de *Sigtuna*.

§. VI.

Bericonem hunc, cum exercitu Sveciæ egressum, primum Ulmerugos sedibus suis expulisse, & deinde Curlandiam, finitimasque regiones occupasse Historici Livonorum (1) magno consensu tradunt: & sub eo demum Curlandiam Svecis parere coepisse. Nepoti Bericonis Augi, regulo suo, bellum movisse gentem jugi pertæsam (2) iidem ferunt, & Augin quidem in prælio cecidisse, Amulum autem, filium ejus, necem patris magna Curonum Estthonumque strage ultum. Auxilium enim ei tulisse Gothilam, Regem Sveciæ, victisque leges pacis dixisse, ut non Amulo tantum, sed Regibus etiam Sveciæ subiecti essent.

(1) Vid.

(1) Vid. a Lohden l. c. Hierner l. c. Kelchius, l. c. & alii. Conf. tamen de hac Bericonis & sequenti Philimeris expeditione *Toormodus Torfens in Serie Dynast. ac Reg. Danie Lib. II. Cap. IX.*

(2) Sic *Hierner l. c.*

§. VII.

HOc in statu, secundum eosdem auctores, non tantum ad Philimeri tempora, qui expeditionem versus terras Scythicas suscepisse fertur, sed & diu postea permansere. Quamvis enim nonnunquam rebellaverint, aliquando etiam ab externis Regibus victi in eorum ditionem concesserint; semper tamen ad obsequia Regum Sveciæ redire sunt coacti. Sic, *Messenio* teste (1), cum a Frothone subacti fuissent, Daniæ Rege, ab Hothebrodo, Rege Sveciæ, recuperati sunt; cumque postea ab Roderico descivissent, victi obsequium sponserunt, moxque filio ejus Adilo rebellantes, denuo subacti sunt.

(1) In *Scand. III. Tom. X. p. 2.*

§. VIII.

INterjecto deinde tempore cum domesticis Urbis impediretur Gramus Rex Sveciæ, Curo-

rones

rones ad ingenium redeunt. Jamque eo processerant audaciæ, ut ultro Svecis bellum inferrent, & de Dominis suis sub jugum mittendis cogitarent. Sed votis improbis successus defuit. Erico deinde II, Regi Sveciæ, armis coacti, sese submiserunt. Sed male fidam Patri præstitam fidem, filio denegarunt: ac denuo rebelles sequentibus Sveciæ Regibus novam præbuerunt, arma adversus illas regiones expediendi, materiam. Hæc ævo præscio, cujus nulla certa superest historia, sic gesta fuisse, narrant, cum aliquibus nostratium, Scriptores Livonici atque Curlandici, quibus per me quilibet vel addat, vel detrahat fidem.

§. IX.

Sequentibus temporibus, quæ clariori historia luce collustrantur, Curlandiam Regibus Sveciæ paruisse, non uno argumento probari potest. Et primo quidem Iwarem Widfadme, potentissimum Scandiæ Monarcham, universæ terræ orientali, id est, Esthoniæ, Livoniæ atque Curlandiæ, imperasse *Ynglingorum Historia* (1) testis est. II, A *Saxone* (2) discimus

c

in

in prelio Brawallensi, A. C. 735. secundum *Torſei* (3) ſupputationem habito, a partibus Ringonis, Sveciæ Regis, ſtetiſſe Eſthones atque Curones, unde concludit *Hiernerus* (4), eos illo tempore regno Sveciæ ſubjectos fuiſſe. Idem III. apprime confirmat *Vita Anſgarii* (5) a *Remberto* conſcripta, in qua Chori, gens Sveonum principatui olim ſubjecta, ſed quæ jam diu rebellando eis ſubjici dedignabatur, armis victa, tributum obſidesque dediſſe dicitur. IV. Ex ſermone Thorghyri, Uplandiæ Legiferi, ad Regem Olavum Skautkonung (6) diſcimus, Ericum Emundi filium (vixit ſeculo IX.) Finlandiam, Kyrialandiam, Eſthoniam atque Curlandiam, aliasque terras orientales ſubegiſſe, & adhuc ipſius tempore ſuperfuiſſe caſtella aliaque opera, quæ Rex dictus ibi ſtatueraſt. V. Nec abludit Ingegerdis, filiæ Olavi Skottkonung, ſermo, quo (7) Patrem ab impugnanda Norwegia dehortatura: *Mihi vero, inquit, ſi quid apud te auctoritatis habet filiæ conſilium, præſtare videtur, ut terras Orientales (id eſt, Curoniam atque Livoniam) ſubjuges; quas prædeceſſores tui poſſederunt, & non ita pridem Strybiörnus, conſanguineus tuus, ſibi ſubjecerat.* Addi poteſt VI. *Adami Bremenſis* (8) te-

(8) teſtimonium, qui inter terras imperio Sveonum ſubjectas Curlandiam diſerte nominat, quamvis eam, per ignorantiam, inſulam vocet, & alia nonnulla admisceat incredibilia.

(1) Apud *Sturleſon*. Tom. I. *Hiſtor. Norweg.* pag. 52. Conf. *Job. Frid. Peringskiöldii* Præfat. ad *Fragmentum Hiſtoric. Vetus* à ſe editum.

(2) In *Hiſtor. Dan.* Lib. VIII. pag. 145.

(3) In *Serie Reg. Dan.* Lib. III. Cap. II. pag. 239.

(4) Sup. cit. loc.

(5) Cap. XXVII. pag. 70. edit. Fabric. Conf. *Oernbielm. Hiſt. Eccl.* Lib. I. Cap. . . . ubi conditiones pacis hiſce verbis exponit: *Rex populusque Sveonum Curlandos omnes, cujuſcunque dignitatis, ſexus ac ordinis, in priſtinum locum amoris atque gratiæ, cum hiſ que poſſident, ſine fraude doloque admittunto. Curlandi viciffim perpetuis poſthac temporibus Regi populoque Sveonum fidem, ſubjectionem, & nunquam temperanda obſequia præſtando. Ad ſumtus belli utcunque compenſandos, omnem anno ſuperiore Daniſ ereptam auri, argenti, armorum naviumque prædam Regi populoque Sveonum integre cedunto. Pro capite vivi cujuſvis in urbe obſeſſa hominis dimidiam argenti Libram Regi ſine mora pendunto. In ſecutura perpetuo tempora ante has natas inimicitias pactorum legibus deſinitos annuos cenſus, ſuo periculo ſumtuque, quotannis in Sveciam deferendos, Regibus exhibento. Datis triginta obſidibus ex omni honeſtiorum civium numero, ad conſentaneam amicis temporibus fidem ac obedientiam ſeſe obſtringunto.*

(6) Apud *Sturleson. in Chron. Norweg. Tom. I. pag. 484.*

(7) Apud eundem l. c. pag.

(8) In *Histor. Eccles. Lib. IV.*

§. X.

Postquam Germanorum armis occupata, simulque ad Christianismum perducta fuit Curlandia, Svecorum non amplius agnovit imperium. Quod quo jure factum sit, quæque ab illo tempore terræ dictæ, intuitu Svionniæ, fuerint fata, in Præfatione ad Fasciculum II. hujus Collectionis exponemus. Nunc tempus est, & de toto instituto nostro, in opere, cujus nunc primam partem sistimus, edendo, & de contentis hujus Fasciculi, lectores edocere. Et ad prius quidem quod attinet, tantum apud me valuit de orbe literato bene merendi studium, ut, cum monumenta aliquot Historica MSCta, res Ducatus Curlandiæ non parum illustrantia, fato venditionis sub hasta ad me pervenissent, non possem imperare mihi, quin ea in gratiam eorum, qui hoc literarum genere delectantur, publici

publici juris facerem. De fide illorum si quis forte dubitaverit, sciat, ea olim ad Consiliarium Legationis Curlandicum, ad aulam Svecicam degentem, pertinuisse, eoque defuncto, quo modo dictum est pacto, mea facta. Quamobrem, ut apud ministrum publicum, publica negotia gerentem, non nisi optima & incorruptissima inveniri potuerunt. Accedit, quod inter reliqua & Originalia nonnulla habeantur, non infimi pretii: Copiis autem Notariorum publicorum testimoniis abunde fides sit facta.

§. XI.

Denique de contentis hujus primi Fasciculi pauca in medium proferenda. Et primo quidem quid comprehendant, quoque ordine sese excipiant, quoniam ipsa ocularis inspectio quemlibet edocere potest, hic denarrare supervacuum puto. Ad formulam autem Regiminis Curlandici, quæ primum locum tenet, notandum, ipsum prooemium in versione Germanica MSCta, quæ penes me est, plenius, expressum esse; quod quoniam

niam integrum habere lectoribus non ingratum fore existimo, hic adponam: **Wir** Joannes Kuczborski, **von Gottes und des Apostolischen Stuhls Gnaden Bischoff zu Kulm und Pomerellen**; Adamus Talwois, **Samoitischer**; Maximilian Przerepski, **Sawichostischer Castellan, Hauptmann zu Peterkow**; Andreas Mleczo, **Uxitischer Landrichter**; Guilhelmus Kochancki, **Königlicher Secretarius, von dem Durchlauchtigsten, Großmächtigsten Fürsten und Herrn, Herren Sigismundo III. von Gottes Gnaden, König in Böhmen, Groß-Fürst in Litthauen, Neussen, Preussen, Masow, Samoiten, und Lieffland, der Schweden, Gothen und Wenden Erb-König, Unsern gnädigsten Herrn, und den Ständen des Reichs und Groß-Fürstenthums Litthauen, ins Fürstenthum Curland und Semgallen, auch Piltenschen Krensse, mit vollkommener Gewalt abgefertigte Commissarien. Thun in Krafft dieses ꝛc.** Unde cum appareat, nomen principalis Commissarii, Culmensis Episcopi, secundum versionem Germanicam non nihil aliter, ac in latino textu scribi, & cum

eum seriptione Germanicæ versionis faciat auctoritas Consultiff. D. D. *Lengnichii* (1) *Kuczborski* rectius, quam *Cosibutski* scribi putamus. Statuta, quæ sequuntur, *Curlandica* cum parte quidem posteriore Formulæ Regiminis conveniunt. Quoniam autem loca quædam, quæ depravata videntur, illustrant, ideo ea quoque adjungere visum est. De ceteris nihil est, quod in præsentis dicamus. Si quid posthac occurrerit, id in præfatione ad Fasciculum secundum monebitur.

(1) In seinen Geschichten der Lande Preussen, sub Sigismundo III. ad A. 1615. pag. 90.

S. XII.

Fasciculus II. propediem in lucem edendus, sequentia continebit:

- I. Statuta oder Gesetze des Piltenschen Krensses.
- II. Unions-Pacta zwischen dem Herzog zu Curland, und der Ritter- und Landschafft des Piltenschen Krensses.
- III. Den Commissorialischen Abschied des Piltenschen Krensses de A. 1612.
- IV. Sum-

4. Summariam Demonstrationem Episcopatum Piltensem subesse S. R. Mtis totiusque Reipub. Ordinationi, & jus vindicandi seu eximendi hujusmodi Episcopatum posse concedi illi Episcopo, cui salubriter S. R. M. & Respub. censuerit expedire.
5. Summariam Deductionem Juris Ill. Curlandiæ Ducibus in Districtum Piltensem competentis.
6. Diarium der Piltnischen Commission de A. 1686.
7. Acta in Pilten in Generali Commissione de A. 1685. & 1686.
8. Statthalters Behrens Bericht ad Regem Daniæ, was vor Documenta im Piltnischen vorhanden.
9. Deduction vom Anfang und Fortgang des Bischoffthums Pilten.
10. Deductionem de Origine, nomine & statu districtus Piltenensis ab incunabulis illius, usque ad tempora Johannis III. Regis Poloniæ.

FOR-

FORMULA
REGIMINIS CURLANDIÆ &c.
A COMMISSARIIS SIGISMUNDI III. REGIS
POLONIÆ ANNO 1614. PROPOSITA,
ET A REGE AC NOBILITATE
CONFIRMATA. ANNO 1617.

PARS ANTERIOR

NOS JOHANNES COSIBUTZKI &c. &c.
notum facimus.



um inter alia Commissionis in Curlandiæ & Semigalliæ hoc Ducatu obeunda negotia, illud quoque injunctum nobis esset, ut Jura & Leges, certamque rationem & formam, quâ & Ducatus hic rectè & ordine regi & gubernari, & Justitia iis, quorum interest, administrari possit, autoritate nostra Commissoriali præscriberemus constitueremusque. Nos id ipsum æquâ & diligenti, tum primorum pastorum, quibus hæc Provincia Regno, magnoque Ducatui Lithuanie adjuncta est, tum Decretorum Comitium, instructionisque nostræ ratione habitâ, re cum Illustri Principe

A

cipe

cipe Friderico in Livonia Curlandiæ & Semigalliæ
Duce, atque cum Nobilitate universâ communicatâ,
in hunc, qui sequitur, modum explicasse, sancivisse
seque, ac usu impostero frequentandum promul-
gasse, sancireque & promulgare præsentibus literis
nostris.

CAP. I.

Consiliarii
primi †

Imprimis sub regimine Illustris Curlandiæ &
Semigalliæ Ducis supremi Consiliarii & Assessores
sint hi: Præfectus Provinciæ, (Landhoffmeister) Can-
cellarius, Burggravius & Land Marschalcus, omnes
quatuor Nobiles, indigenæ & benè possessionati,
cum duobus Doctoribus Juris-consultis, Nobilibus isti-
dem, si haberi possint, vel, iis deficientibus, ex ci-
vico statu.

Cancellarius
qualis?

II. Cancellarius sit vir doctus, atque ad obe-
undum sustinendumque illud munus idoneus, cui
defuncto, ex majoribus minoribusque Capitaneis,
vel reliquâ etiam Nobilitate, ubi nimirum vir geren-
do muneri par inveniri possit, substitui à Principe
debet.

Poloni &
Lithvani
sunt indige-
nae Curlan-
diæ.

III. Nomine autem indigenarum etiam Polo-
ni & Lithvani Nobiles in Curlandiæ & Semigalliæ
Ducatu benè possessionati comprehendantur.

Consiliario-
rum & Capi-
taneorum in
Principis ab-
sentia offi-
cium.

IV. Principem si abesse à Ducatu, vel minorem
nem aut infirmum esse, vel etiam mori contigerit,
præfati Consiliarii Jurisdictionem & Judicia exerce-
bunt, mandata & sententias, aliaque omnia admi-
nistrationis munia Principis nomine, quamdiu in-
viviis erit, expedient ac promulgabunt. Atque hæc
Juris-

Juris-

Jurisdictione eorum etiam mortuo Principe indivisa at-
que in solidum censi debent, ut uno pluribusve
eorum defunctis reliqui munere suo plenè fungan-
tur, jure tamen Sacræ Regiæ Majestatis & Reipublicæ
per omnia & in omnibus salvo.

V. Secundum hos Consiliarios, Assessores pro-
ximo loco in Ducatu sint Capitanei majores Qua-
tuor; Duo in Semigallia, Selburgensis & Mitobien-
sis, etsi Sacra Regia Majestas ac Respublica Ducatus
quoque Curlandici partem sub unius ejusdemque Prin-
cipis regimine esse voluerit. In Curlandia totidem,
Goldingensis & Tuckumensis, qui & ipsi ex indigenis &
bene possessionatis à Principe eligantur. Ex quorum
quatuor Capitaneorum numero, si quis ex Consilia-
riis præfatis supremis decesserit, alius in locum de-
functi à Principe surrogetur.

Capitaneorum
quatuor
majorum
Constitutio.

VI. Hi autem Capitanei Majores quatuor sin-
gulis Nobilibus & Ignobilibus in districtibus, quorum
Jurisdictione illis attribuetur, in causis primæ Instan-
tiæ, adhibitis Assessoribus, quos habere potuerint,
jus dicent:

Capitaneorum
majorum
munia.

- I. Selburgensis nempè, Selburgensibus, Dünæbur-
gensibus, & Ascheratensibus.
- II. Mitobiensis: Mitobiensibus, Eckaviensibus, Bal-
donensibus, Neugutensibus, Sessaviensibus,
Grentzhoviensibus, Doblensibus
- III. Goldingensis: Goldingensibus, Vindaviensibus,
Alsvangensibus, Hasenpotensibus, Dur-
bensibus, Gransdensibus, Schrundensibus,
Frauenburgensibus.

A 2

IV. Tucku-

IV. Tuckumensis, Tuckumensibus, Candoviensibus, Sabelensibus, Talsensibus, Autzensibus.

Capitaneorum minorum Consiliatio.

VII. Quibus quidem Capitaneis majoribus quatuor, sive ii defuncti, sive in locum Consiliariorum Principis suffecti fuerint, ex Capitaneis minoribus, quos Princeps voluerit, succedant. Neque verò quisquam sive Consiliariorum sive Capitaneorum commemoratorum omnium absque gravi & iusta legitimaque causa, de qua Princeps cum Consiliariis & quatuor Capitaneis majoribus cognoscet, loco movebitur. Istâ autem cognitione factâ removeri poterit.

Capitaneorum majorum iudicia quando exercenda?

VIII. Iudicia Capitaneorum majorum quovis anni tempore, solis diebus festis exceptis, exercentur, salvâ Jurisdictione Nobilium singulorum in Territoriis ac fundis eorum secundum pacta illis competente.

Ubi à Capitaneis appellatur?

IX. Ab hoc autem Iudicio Capitaneorum appellationes ad Iudicium Principis aulicum supra nominatorum Consiliarum interponantur.

Iudicia aulica quando exercenda?

X. Iudicia aulica quotannis bis celebrentur, singula spatio quatuor septimanarum, aut minori, si nimirum tanta frequentia causarum futura non sit, circa festa Trium Regum, & Trinitatis.

Quando & à quo summa appellatio interponenda?

XI. A quibus appellationes omnes indistincte in causis excedentibus Summam Sexcentorum florenorum & honorem concernentibus, ad Regiam Majestatem deferantur, partesque terminum ad prosequendam appellationem ex lege hâc habebunt Iudicii tempus, quod Prutenicarum causarum in aula Regiæ Majestatis datum est, mensium scil. Martii & Octobris. XII.

XII. Eodem tempore appellationes ad Sacram Regiam Majestatem interpositæ ad Iudicium Relationum Sacræ Regiæ Majestatis proprium à præterito Iudicio Assessoriali devolventur, atque ibidem juxta Leges & Consuetudines Curlandicas determinabuntur. Quomodo appellatio in aula Regiæ prosequenda?

XIII. Literæ inhibitoriæ, processus in Iudicio Principis pendentes, retardantes vel cohibentes ante interpositam appellationem ex Cancellaria Sacræ Regiæ Majestatis non extradentur; impetrata autem nec Justitiam remorari, nec iudiciorum auctoritatem sistere, nec iudicata rescindere poterunt. Processus Regiis inhibitoriis non retardandi.

XIV. Et impetrator earum amissione causæ mulctari debet. Pœna retardantium.

XV. Nemo omnium sive Nobilium sive incollarum bonis suis sine legitimâ cognitione & Iudicio privetur. Nemo sine iudicio bonis suis privandus.

XVI. Magistratus omnes & singuli Civitatum & Oppidorum Decuriones omnibus requirentibus Justitiam indilatam administrabunt, depactionesque quoquam non exigent sub pœna restitutionis, & damni emergentis refusione. Manerum corruptele iudicibus interdita.

XVII. Processus in omnibus Iudiciis sive Criminalibus, sive civilibus, inferioribus sive supremis Summarius fit, ut ore tenus omnia proponantur, non in scriptis, Sententiis verò iudicum, ut in Regno Poloniae moris est, inserantur. Processus sint summarii.

XVIII. Partibus tamen statum causæ suæ pro informatione Iudicis brevissimè conscriptum exhibere liberum erit. Status cause scriptis proferendus.

XIX. Nobilium causæ criminales à Iudicio aulico Nobilium

causae criminales quo modo exercenda?
lico Principis Consiliariorum adjunctis quatuor Capitaneis majoribus determinentur, appellatione ad Sacram Regiam Majestatem salvâ.

Appellationes in quibus casibus non admittenda?
XX. Exceptis tamen causis publicorum criminum, invasionum, spoli, incendiorum, violentiæ, deflorationis, fæminarum raptus, deprædationum, homicidiorum, ex dolo atque insidiis factorum, in quibus appellationes non admittentur.

Beneficium appellationis parti læsæ tantum concessum. Item declaratio sententiæ obscuræ concessa.
XXI. Post sententiam definitivam sive iudicii aulici Principis sive Capitaneorum quatuor, præter Appellationem nullum aliud beneficium parti gravatæ contra sententiam latam tribuetur, sive sit restitutionis, nullitatis, remissionis, vel quodcunque, quo lites pertrahantur, solâ declaratione sententiæ obscuræ pronuntiatae exceptâ.

Lites inter Principem & nobilitatem à Rege determinanda.
XXII. Si *Lis inter Principem & Nobilem* sive unum sive plures de successione, aliisque rebus orta fuerit, causâ ea *immediatè coram Regia Mte intendabitur.*

Salvi conductus Regis in hoc Ducatu inviolabiles.
XXIII. Quod si etiam Sa. Ra. Mtas, Successoresque ejus, quibusvis ex Ducatu Curlandico aut Sempgallico, ex causâ justa & legitima, fide publicâ cavendum, salvumque conductum tribuendum existimaverint, illi pro jure Regiæ Majestatis in hunc Ducatum supremo, directoque Dominio, apud Illustræm Curlandiæ & Sempgalliæ Principem successoresque ejus sacrosancti semper erunt ac esse debent.

Salvi Conductus quousque edicti extendi debent?
XXIV. Non dabuntur autem Salvi conductus hominibus ullis facinorosis, sed tantum si quis ex sinistra aliquâ delatione offensionem Principis successorumque ejus incurrerit, vel adversarii alicujus potentiam

potentiam prematur, aut aliâ aliquâ justâ de causâ dignis præsidio ac patrocinio Regiæ Majestatis videatur. Dabunturque Conductus tales non à jure, sed à vi tantum & potentia, eatenus ut qui eas impetraverit, juri nihilominus se sistere, rei que judicatae parere teneatur, duranteque salvo conductu Impetrator modestè se geret, nullumque injuriâ afficiat, & publicum salvum-conductum ad notitiam omnium, maximè autem Magistratus, à quo vim veretur, adducat, usque ad sex tantum mensium spatium dabuntur; intra quos menses & jure experiri & alia negotia sua honesta gerere administrareque, qui salvum-conductum habuerit, possit, spatio eo exacto, alium præter hunc impetrare ei liberum sit.

XXV. Frivolè Principem aut Consiliarios ad Tribunal Regium citantes aut pertrahentes, & à quibusvis aliis Sententiis sive ipsius Principis sive Consiliariorum, sive aliorum iudicum inferiorum temerè appellantes aut Principem suum, vel quoscunque alios sine causâ apud Regiam Majestatem traducentes, damna omnia omnesque sumptus refundant, ac præterea iudicio Regiæ Majestatis pro rei qualitate arbitrariâ poenâ puniantur.

XXVI. Executio rerum judicatarum ab Officialibus & Magistratibus in præjudicium eorum, quorum interest, non solum retardari non debet, verum unicuique vincenti, sive indigenæ sive extraneæ æquali modo administrabitur, idque sine omni proteratione & mora sub pænâ refusionis damnorum omnium totiusque ejus, quæ interferit partis læsæ restitutione.

XXVII.

*Pœna negli-
gentium Fu-
dicum &
executorum.*

XXVII. Executores negligentes pœnâ quinquaginta Ungaricalium toties, quoties id commiserint, punientur, & partes executioni resistentes pœnâ violatæ Pacis publicæ irremissibiliter puniantur, à quibus pœnis nulla provocatio datur.

*Nulla man-
data adver-
sus executio-
nem obtinen-
da.*

XXVIII. Mandata adversus executionem ob-
tenta nullius valoris erunt, & qui ea impetraverit, mulctâ Viginti Ungaricalium, Magistratus autem sive Executores talibus administrantes quinquaginta Ungaricalium mulctentur.

*Conventus
publici sin-
gulis bienniis
Mitobie co-
lebrandi.*

XXIX. Conventus Publici singulis bienniis Mitobie celebrentur, ad quos singuli districtus postquam articulos deliberatorios nacti fuerint, nuncios suos cum sufficienti potestate allegabunt.

*Pacta subje-
ctionis in
Conventibus
servanda.*

XXX. In quibus Conventibus nihil decernatur, quod pactis subjectionis fundamentalibus, & Ducalibus Investituris, & huic Regiminis Formæ aut Ordinationi sit contrarium. Horum enim omnium æterna Authoritas esse & conservari debet, salvis conventibus Extraordinariis in casu necessitatis ex legitimâ causâ per Principem, communicato prius cum Consiliariis Consilio, celebrandis: Si tamen Princeps ejusmodi conventum indicere recusaverit, auctoritate Regiæ Majestatis indicetur. Gravamina enim, jura hujus Provinciæ concernentia, re cum Consiliariis primum communicatâ, si Conventus haberi vel impetrari à Principe non possit, vel extra Conventum ad Regiam Majestatem deferre unicuique liberum fit. Quorum gravaminum, (si causâ & ratio iusta & necessaria postea deprehensa fuerit) deducendorum sumptus ex ærario publico refundantur.

XXXI.

XXXI. Liberum verò sit, esseque perpetuo debet, Dominis Consiliariis, cum ad hoc à Nobilitate requisiti fuerint, de iis, quæ leges & Privilegia Ducatus afficiunt, si fortè aliquâ in parte (quod absit) læsæ fuerint, præmonere Principem, ut salvas velit habeatque libertates, privilegia & jura omnium & singulorum incolarum hujus Ducatus, quâ ex admonitione nullam, qui eam interposuerint, indignationem vel poenam vel contemptum aut odium incurrant.

*Consiliarii
Principem,
ut pacta ser-
vet, admo-
neant.*

*absque peri-
culo & da-
mno.*

XXXII. In Conventibus illi tantum ad Consilia accedant, qui per Leges & Consuetudines admittuntur, omnibus aliis, qui jus suffragiorum non habent, penitus exclusis.

*In Conventi-
bus tantum
ordinarii &
constituti
compare-
bunt.*

XXXIII. Quibus autem hoc munus competit, ut de rebus communibus deliberent, maturè debitoque tempore adsint, modestissimeque se gerant, procul omni tumultu, armis item in solidum omnibus remotis, ordine in dicendis sententiis observato, qui à Marschalco, quem in singulis conventibus eligent, constituetur. Sententiæ sint liberæ, sed non nisi Directoris jussu proferendæ. Vota non anticipanda, nec cuiquam prædicenda, is v. qui ad prius dicta nihil habet, quod addat, aliorum sententiæ non invitatus subscribat.

*Vota in Con-
ventibus quo-
modo & à
quo colligen-
da.*

XXXIV. Vasallagium Principis quod attinet, cum ejus quantitas & qualitas literis Investituræ suæ Majestatis ad normam Ducum Prussiæ determinata sit, huic ordinationi & Investituræ Majestatis suæ Illustrem Principem Curlandiæ & Semgalliæ præsentem & futuros successores stare debere omnino censemus.

*Vasallagii
Principis
qualitas.*

B

XXXV.

Vasallagium Nobilium quando colligendum?

XXXV. Vasallagium enim hoc, & servitia equestria Nobilitatis, non nisi commotione Regni & Reip. præcedente, præstabuntur, sub pœna legibus Regni de Expeditione publica sancitâ, exceptis periculis repentinè à quocunque finitimo hujus Provinciae hoste ingruentibus, quo casu lustrationes & expeditiones bellicæ, collato tamen cum Consiliariis eâ de re Consilio, à Principe decerni poterunt.

De 20. Uncis Eques mitis.

XXXVI. Servitia Nobilitatis à Principis Vasallagio sejuncta signis separatis, sub uno tamen Regimine ductuque Principis expedientur, ad eamque æqualitatem deducantur, ut ex Viginti Uncis singulis, singuli equites boni & idonei, quorum in prælio usus esse possit, armis, aliisque omnibus rebus benè instructi, sistantur.

Revisores ærorum ad vasallagium constituendi.

XXXVII. Ad quorum uncorum Revisionem ab ipsa Nobilitate quatuor Nobiles & à Principe duo ex Consiliariis, omnes ad hunc actum jurati deputentur.

Equitum Praefectus quo nominandus & constituendus?

XXXVIII. Praefecti militum Servitii Nobilitatis ab ipsa Nobilitate nominentur, bini ad singulas Praefecturas, ex quibus Princeps unum, quem probaverit, confirmabit atque constituet.

Ærarium Provinciale constituendum.

XXXIX. Ærarium Provinciale publicum instituat, & certus contributionis modus in quolibet Conventu publico statuatur, in quo sanciendo pluralitas votorum concludet, cui ærario unus ex Capitalibus quatuor ex Nobilitate præficiatur.

XL. Titulum Nobilibus convenientem, den Edlen, Illustrissimus Princeps in literis aliisque diplomatis suis imposterum tribuere se velle sponte sua obtulit. Nobilium Titulus à Principe.

XLI. Modo inter eos, qui reverà Nobiles sunt, & qui plebei, constituto judicio Equestri (quod Ritterbanck appellatur) discrimen fiat, quam in rem Nobilitas cum Principe consentit. Judicium Equestre.

XLII. Recessus omnes nullis exceptis, cum penitus sublatis, & ab Illustri Principe Friderico Nobilitati spontè condonati cassatique sint; Nos quoque ab examine illorum supersedendum nobis esse putavimus, ideoque omnes eos Recessus tollimus & abrogamus autoritate nostrâ commissoriali. Recessus omnes anteriores sublatis.

XLIII. Ad oppignorationes in Sempgallia à præfato Illustri Principe, Friderico, in Curias Bersenhoff, Barbalen & Elleren factas, siquidem Domini Consilarii Illustris Principis eas oppignorationes ex gravibus causis, partim persolvendi æris alieni temporibus belli pro defensione Reipub. ab Illustritate sua contracti, cujus summa Sexaginta millia florenorum excedat, partim propriorum debitorum nomine, in usus publicos contractorum profectos, atque curias præfatas non magni momenti fundos esse, deliberationesque non difficulter fieri posse assererent: Ideo nos huic declarationi illorum inhaerentes, Redemptiones præfatarum curiarum (nisi fortè moderni Possessores desuper Regiæ Majestatis approbationem impetraverint) faciendum esse statuimus. Curia oppignorate in Sempgallia redimenda.

*Gravamina
privata à
certis per-
sonis abole-
antur.*

XLIV. Gravamina omnia privata, tam in Semgallia quam Curlandia, deputatis ad hanc rem certis Confiliariis Principis atque è Nobilitate personis aboleantur.

*Ducis Guil-
belmi credi-
toribus satis
faciendum.*

XLV. Cum Creditoribus quoque Fratris, Illustris Princeps, Fridericus, juxta pollicitationem quam in compositione cum Nobilitate fecit, si illam partem Ducatus à Sacrà Regiâ Majestate consecutus fuerit, bonis modis componet.

*Utriusque
Religionis
exercitium
liberum fit.*

XLVI. Ante cætera verò omnia hæc sancimus, ut Catholicæ Religionis, atque ut Augustanæ solius Confessionis pactis primævæ subjectionis permiffæ exercitium in hoc Ducatu Curlandiæ & Semgalliæ liberum fit, secundum præscriptum Romanæ ejusdem Universalis Ecclesiæ Illustri Principe, Friderico, universæque totius Ducatus Nobilitate ad feriam postulationem Sacræ Regiæ Majestatis eam in rem consentiente, ut nimirum quilibet Nobilium in suis bonis hæreditariis facella, Oratoria privata pro cultu divino.

*Templorum
ædificatio
cuius con-
cessa Nobili.*

XLVII. Templaque ædificare vel collapsa restaurare, Sacerdotesque Catholicos ad se avertere, eorum ministerio pro se, familia, subditisque suis, citra cujusvis impedimentum citraque coactionem utriusque Religionis, uti possit, absque tamen diminutione juris quoad redditus, sive ad Patronos, sive alios quoscunque pertinentes, ita ut si unus tantum sit Patronus Ecclesiæ, & iste Catholicus fiat, templum sibi cum omnibus redditibus teneat: Sin
autem

autem plures Comparoni, quorum unus Catholicam Religionem suscipiat & peculiare templum in suis bonis construat, nihilominus onera quoad consuetas Augustanæ confessionis pensiones, ferat.

*Securitas
Exerciti
Religionis.*

XLVIII. Tenebitur porrò Magistratus Politicus ex officio nomine liberi Exercitii Religionis Securitatem ab omni vi, injuriâ, contumeliisque cuilibet præstare: ad munia quoque publica in Ducatu hoc Catholicis, qui idonei fuerint, aditus pateat; salvis per omnia juribus, privilegiis, cautionibus, confirmationibus, Ducibus & Nobilitati Curlandiæ quoad Exercitium Confessionis Augustanæ usumque suarum Ecclesiarum omnium ab eis ædificatarum vel ædificandarum, quocunque Magistratu succedente, nec non administrationis rei Ecclesiasticæ per Serenissimos Poloniæ Reges benignè concessis.

*Novi Calen-
darii usus in
Curlandia
receptus.*

XLIX. *Calendarium Novum* in omnibus imperio Regiæ Majestatis subiectis Provinciis receptum, ad postulationem nostram nomine ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis factam, Illustris quoque Curlandiæ & Semgalliæ Dux Fridericus, consentiente ejusdem Nobilitate omni, *recepit.* Quod ut ad primum Januarii anni futuri Millesimi Sexcentissimi decimi octavi diem introducatur, promulgetur, constanterque imposterum ab Illustri Principe ejuque in Ducatu Curlandiæ vel Semgalliæ Successoribus legitimis fervetur, auctoritate nostrâ Commissoriali constituimus.

L. Apostatæ aliique transfugæ utrinque tam ab Illustri Principe moderno quam ejus Successoribus si-
B 3 nè

*Apostata-
rum*

*transfuga-
rum extra-
ditio.*

nè omni mora & contradictione, repetentibus extra-
dantur & restituantur.

*Juramen-
tum Princi-
pis R. Maje-
stati præ-
standum.*

LI. Novus Princeps Curlandiæ & Semgalliæ ju-
rejurando, quod Sacræ Regiæ Majestati atque Reip.
præstabit, se quoque Nobilitatis universæ, omnium
præterea & singulorum privatorum libertates, pri-
vilegia, jura, immunitates, sartas atque tectas servatu-
rum contestabitur.

LII.

Formula Juramenti novo Princi-
pi à Nobilitate præstandi,
sit talis.

*Forma jura-
menti Nobi-
lium & in-
colarum.*

Ego N. N. juro R. M. Curlandiæ & Semigalliæ
Duci, ejusque Successoribus legitimis investitis, & si
horum nullus superfuerit, Serenissimo ac Potentissi-
mo Principi ac Domino Domino, Sigismundo III. Po-
loniæ Regi illiusque Successoribus Regibus, & incli-
to Regno Poloniæ Magnoque Ducatui Lithuanie tan-
quam non solum supremis ac directis, quales nunc sunt,
sed etiam utilibus & immediatis tunc futuris Dominis
meis, tum, uti cæteri regni indigenæ, subditus fide-
lis & subjectus esse, ejus Illustritatis commoda & emo-
lumenta quærere & promovere, omniaque terrarum
& incolarum Illustritatis ejus, quantum per me fieri
potest, damna & incommoda præcavere, amovere,
prævenire, uti fidelem & probum subditum decet, sem-
per velim, quâ in re nihil quicquam, quod humano
ingenio

ingenio excogitari poterit, me impediet. Sic me DE-
US adjuvet, & Sancta Christi Passio.

LIII. His itaque constitutis illud postremo loco
adjiciendum duximus, ut cum ea omnia, quæ hæc for-
mulâ Regiminis continentur, pactis primævæ subje-
ctionis hujus Provinciæ, juribusque aliorum Princi-
pum Vasallorum feudali titulo Provincias in Repub.
Polonica possidentium, atque adeò ipsi æquitati ac Ju-
stitiæ sint conformia ea deinceps sub pæna decreti co-
mitialis anno superiori latâ tum & aliis Regiæ Maje-
statis arbitrariis observentur, debitæque executioni
à suis Magistratibus demandentur. Quia verò Ordo
Equestris Ducatus pro gravaminibus his abolendis per
nos ad præsens ob majorem animorum coalescentiam,
non ad poenas ullius, sed ad solam in futuram refor-
mationem redactis ad S. R. Majestatem Dominum
nostrum clementissimum confugerit, suæque Majesta-
tis & ordinum Regni opem imploraverit, ne quid si-
bi inde impostero metu, damni aut alienationis
animi Illustritatis modernæ Principis ejusque Succes-
sorum contingat, tum id nobis Sacra Regia Majesta-
tas publicâ fide & autoritate commissoriali præca-
vendum demandare dignatâ sit.

*Omnia hæc
jus Regimi-
nis contenta
juxta Regiæ
decretum
executioni
mandanda.*

LIV. Proinde Speciali mandato ac rescripto Sa-
cræ Regiæ Majestatis, una & decretis præteritorum
comitiorum in causis Curlandicis latorum insistendo
ejusdem Sacræ Regiæ Majestatis autoritate & vo-
luntate, declaramus, ut nullus horum omnium, qui-
cunque sive in Conventibus Generalibus gravamina
præfata

*Declaratio
securitatis
D. D. Com-
missariorum
Nobilitati
facta.*

prafata dicto fcriptoque tanquam assertores libertatum suarum proponerent, urgerent, atque tolli conati essent, operamque suam navarent, ut munus Nunciorum Provincialium obirent, ullius indignationi odioque & damno subsit, neque id illi a quopiam, potissimum vero supremo hujus Ducatus Magistratu vitio verti debere aut posse; Verum liberos & immunes ac omni ex parte tutos permanere, iisque aditum ad quævis officia & dignitates, gratia & benevolentia Principis, ejusque legitimorum Posterorum, si idonei fuerint, patere, ac denique ea omnia Amnistiâ obliterari debere, ut illis nulla in perpetuum eo nomine quæstio moveri ac molestia a quopiam, cujuscunque ille status & præminentia fuerit, inferri debeat.

Tranquillitati omnibus incumbendum.

LXV. In super omnes ex æquo in eam curam incumbant, quo pacatus tranquillisque hujus Ducatus status permaneat, qui cum instar propugnaculi contra finitimos universæ Reip. hostes, ex hac parte esse debeat, omnes concordibus animis studia sua ad salutem ejus certatim & alacriter conferant.

Respectus Subditorum erga Principem & Rempublicam.

LXVI. Illustri Principi suo ac illius legitimis in feudo Successoribus obedientiam honoremque exhibeant, fidei Regiæ Majestati & Reip. Polonicæ datæ memores sint, si omni felicitate patriam suam florere, ita ut debent, peroptant.

PARS

PARS POSTERIOR.
FORMULÆ
REGIMINIS & PROCESSUS
CURLANDICI.

De Potestate publica, deque judiciorum formâ & Processu.

CAP. I.

Judiciorum & omnium conventuum cæterorum, quæ publicè constituuntur, summa sit securitas, tam in celebratione eorundem, quam in accessu & recessu. Judiciorum securitas.

II. Nemo cum bombardis ac telis lethalibus ad Judicia accedat, excepto gladio, quo accinctus erit, nemo eas eave arma publicè deportet sub poena decem Ungaricalium, aut poena turris 14. dierum. Arma in loco Judicii non ferenda.

III. Si quis alium in accessu ac recessu, vel durantibus judiciis occiderit, vel lethaliter vulneraverit, capite luat. Securitas accessus & recessus Judiciorum.

IV. Delinquentes hoc pacto sine Citatione in conventu durante, terminum habeant, aufugiæ de facto recenti proscribantur. Pœna profugorum ex loco judicii.

C

V. Ju-

Termini Judiciorum. V. *Judicia æstivo tempore, à sexta matutina ad decimam, & pomeridianis à primâ ad quintam durabunt.*

Juramentum Judicum. VI. *Judices ad officium judicandi electi principio officii sui jurabunt, quod secundum Jura & Conscientiam suam absque ullo personarum respectu dicere velint.*

Judicium negligentiam Poena. VII. *A judicando se non abducant, nisi legitimis impedimentis affecti, justoque tempore adsint & persistant, sub pœna Ungarici, toties quoties contravenerit.*

Commissarii in quibus causis dandi? VIII. *Commissarii nunquam dabuntur nisi à partibus petantur, vel ex officio in causa familiaræ herciscundæ, communi dividundo, & finium regundorum.*

Quodnam cuique competens forum? IX. *Forum competens sive sit Civis hujus Provinciæ, sive non sit, habeat ex tribus causis, domicilio, contractu & delicto.*

Cautio cui prestanda? X. *Quod si non-incola incolam hujus Provinciæ convenire & conventus eundem reconvenire velit, is qui actoris partes suscepit, de iudicio fisci & iudicatum solvi cavere tenebitur, si scilicet causæ Conventionis & reconventionis connexæ fuerint, aut una ex altera dependeat.*

Diffamati forum. XI. *Si quis, sive incola, sive non-incola alterum super debito aut crimine diffamaverit, aut traduxerit, ei, qui diffamatus fuit, liberum sit diffamati-*

famatores ad suum forum citare atque pertrahere sub poena perpetui silentii, si citatus non steterit.

XII. *Procuratores quatuor erunt, non plures, qui priusquam ad officium admittantur, à Consiliariis Principis examinentur, utrum idonei sint ad procurandum, an non sint.* *Procuratorum numerus & examen.*

XIII. *Admissi jurabunt, quod citra prævaricationem & calumniam bonâ fide clientum suorum causas agere & pertrahere velint, iisque certum salarium publico placito constituatur, quamvis cuivis extraneo vel ordinariis, vel causidicis secum adductis agere licebit.* *Juramentum Procuratorum.*

XIV. *Mulieres, Pupilli & minores sine Curatore à judiciis abstineant, sub pœna nullitatis, quia & non potentibus Curatores ad litem ex officio dabuntur.* *Viduis & pupillis dantur Curatores.*

XV. *In singulis Præfecturis & judiciis tam Universalibus quam particularibus, ministeriales, unus vel plures per Principem creentur, qui citationes partibus insinuant, quibus in singula miliaria certum pretium tribuetur, quos si quis violaverit, tamque læsæ publicæ pacis reus capite plectatur.* *Ministerialium constitutio merces & securitas.*

XVI. *Citationes in Curiis aut prædiis citatorum, ubi commodè tradi poterint, ponantur, non receptæ palis insignantur, & familiarum, quod talis citatio posita sit, significabitur.* *Citationum insinuatio.*

*Comparatio-
nis terminus*

XVII. Terminus quatuor septimanarum in citationibus sufficiat.

*Cautio ab a-
ctore præ-
standa.*

XVIII. Actionem intentans, si in loco iudicii possessionatus sit, promittere, si non possessionatus, de expensis, damnis & interesse, item quod actionem coeptam persequi & ad finem perducere & ejus nomine reum ab omni alterius impetitione liberum præstare velit, cavere tenebitur.

*Contumacia
vera actoris
punienda.*

XIX. Si Actor contumax sit, neque per se aut per alium comparuerit, reus ab instantia in primo termino absolvatur, nec prius admittatur Actor, quam impensas refuderit, nisi forsan ipse vel ejus mandatarii in itinere inundationibus aquarum, aut morbo, aut captivitate, aut læsione, aut similibus casibus præter suam culpam affecti fuerint.

*Contumacia
Rei conventi.*

XX. Reus autem Conventus ad probandum legitimum impedimentum in primo termino admittitur, in secundo tanquam convictus & contumax in amissionem causæ condemnabitur, neque audiendus erit, etiamsi in integrum se restitui & decretum reponi petierit nisi jure jurando se contumaciæ crimine intra sex menses liberaverit.

*Exceptiones
quando op-
ponenda.*

XXI. Exceptiones omnes declinatoriæ & peremptoriæ in primo termino proponi & causæ plenæ usque ad publicationem definiri debent, exceptis

ceptis casibus, si instrumenta aut documenta quæ quibus in casibus desiderantur.

XXII. Exceptio Spolii omnem actionem adversus spoliatam à spoliatore intentatam excludit, & intra spatium quatuordecim dierum probari debet, quâ probatâ spoliatus in principali accessorio damno & interesse in solidum prius restitui debet, quàm is, qui spoliium commisit, in iudicio audiatur.

XXIII. Actor, si probationibus destituitur, poterit reo juramentum super actione intentatâ deferre, si ipse prius juraverit, quod non calumniandi animo ad hanc actionem processerit, quod litis decisorium vocatur. Quod si reus hoc juramentum præstare vel Actori referre recuserit, pro convicto habendus est.

XXIV. Si Communitati hoc juramentum delatum fuerit, non omnes, sed ii tantum jurabunt, qui rei tantum notitiam habuerint.

XXV. Si juramentum Principali delatum sit, & is post sententiam moriatur, hæredes ipsius de credulitate tamen, non etiam de scientia præstare juramentum tenebuntur.

XXVI. Poterunt præterea Procuratores ad hoc peculiari mandato instructi in animam sui Principalis absentis jurare.

XXVII. Si

*Terminus
producendo-
rum testium.* XXVII. Si instrumenta vel testes praesentes in primo termino haberi non possunt, spatium quatuor septimanarum praefigatur, neque id spatium sine magna & gravi causa duplicari debet.

*Testium qua-
litas.* XXVIII. Testes sint personae honestae, non suspectae, qui a producente nominentur, ut reus adversus eos modeste excipere & eos refutare possit; qui ad testimonium dicendum, si nolint, pignoribus captis cogi debent.

*Testium Ju-
rumentum
& examen
ad quos per-
tinet?* XXIX. Hi, praesentibus partibus, tam producente quam reo, jurabunt, ac deinde remotis arbitraris examinentur, & eorum depositiones non ad disputandum partibus, sed judici ad sententiam ex eis ferendam edantur.

*Testes ante
litis conte-
stationem
non exami-
nabuntur ni-
si in certis
casibus.* XXX. Nulli testes impostero ante judicium coeptum, parte altera absente vel ignorante quid agatur, examinentur, aut eorum attestations publicentur, nisi qui ad perpetuam rei memoriam aetatis aut valetudinis causa ad dicendum testimonium requisiti fuerint, quo facto eorum dicta obfirmari, & non nisi cum opus erit, in judicio proferri, & a solo iudice recludi cognoscique debent.

*Instrumen-
torum novi-
ter reperto-
rum valor.* XXXI. Si quis durante lite, aut ea jam definita ad instrumentum noviter repertum provocaverit, jurejurando contestabitur quod eorum instrumentorum notitiam ante hoc tempus nunquam habuerit, neque suam culpam poterit habere.

XXXII. Sen-

XXXII. Sententiae declaratio, si petatur, *Declaratio
sententiae
quando pra-
tenda?* intra tres dies interponi & statim declaratio fieri, neque ad sequens iudicium differri debet, quod si ultimo iudiciorum die fiat, tantum temporis addendum erit, quo declaratio perficiatur.

XXXIII. Appellationem interponens, si in hoc Ducatu possessionatus non sit, cautionem de *Cautio ad ap-
pellante pra-
standa.* expensis & damnis appellato in hoc Ducatu idoneam praestet, vel appellatione interposita non fruetur.

XXXIV. Arresta non nisi in fugitivis, nec *Arresta qua-
sensus, conser-
denda.* possessionatis, aut eis, qui cum mercatoribus ita contraxerunt, ut confestim solverent & absque solutione discedere conentur, aut aliunde huc se recipientibus, si ex delicto aut contractu conveniantur, permitti debet sub pena arbitraria juxta qualitatem rei & personae, quae indebitae est arrestata.

XXXV. Pignorationes propter damna in *Pignoratio-
nes quando
facienda.* agris & silvis facta, praevia aestimatione & refusione damni remittantur, & animalia capta sine mora restituantur. Quod si quis rebus pignori captis abusus fuerit, quaecunque damna intulerit, pignoratibus arbitrio iudicis refundat.

XXXVI. Si quis arrestum rebus aut perso- *Terminus
arrestum
prosequendi
& neglecto-
rum poena.* nis imposuerit, neque spatio quatuor septimanarum suam negligentiam persecutus fuerit, jure arresti carebit.

carebit, & arrestato ad damna & interesse tenebitur.

Sequestrationis modus.

XXXVII. Sequestrationes litigiosarum possessionum, rerum ac mercium admitti non debent, nisi is qui petit de suo jure summarie contestetur, & possessorem in re possessa male versari doceat; quo casu sequestratio non longius quam ad proximam juridicam concedenda, & interim tam a possidente, quam a Sequestro, & omni injuria ac devastatione rei sequestratae abstinendum est.

Pœna sequestrationem non custodientis.

XXXVIII. Quod si sequestrum in re sua custodiae mandatae male versatum esse, & sylvas aut fundos devastasse, compertum fuerit, non modo damna, quae dedit, refundat, sed & praeterea custodiae publicae violatae causa pro modo vastationis arbitraria ac gravi poenam mulctabitur.

Ordo praelationis in bonis debitorum.

XXXIX. Si contigerit plures Creditores concurrere unius debitoris, qui solvendo non sit, hic ordo servari debet.

1. Omnibus aliis praeferrantur Depositorii in rebus suis extantibus.
2. Deinde Venditores rerum immobilium, in quibus expressam hypothecam usque ad solutionem plenariam sibi reservarunt.
3. Postea mercedes famulorum persolvantur.
4. Impensae in morbum debitoris, ex quo decessit & funus ipsius factae praestentur.

5. Si

5. Si quae cohæredibus suis ante aliorum contractum & familiae Herciscundae judicio eum debere constiterit.

6. Uxor dotem vel dotalitium, quod eo nomine ei constitutum est, repetat, modo non sint Creditores anteriorum hypothecam habentes.

7. Habens publicam hypothecam & judicialem praeferrendus est privatam habenti antiquiorem; in reliquis vero privatam habentibus, qui prior est tempore potior jure dicendus.

8. Si debitor solvendo non est, nec tantum reperitur in bonis ipsius, ut omnibus Creditorebus sive hypothecariis, sive chyrographariis satis fieri possit, usurarum ratio nulla est habenda, quod ubique potius sit jus ipsorum, qui de damno vitando certant, quam horum, qui delucro captando contendunt.

Debitori non sufficenti ad solvendum usura non currunt.

9. Denique Chyrographariis, quibus aequaliter pro rata satisfaciendum est, aut dimidia aut tertia aut quarta pars debiti unicuique tribuatur.

XL.

10. Si contigerit inter hos quenquam, antequam debitoris bona iudicis interdicto tene-

Consecutus mutuum d

D

neren-

*debitore non
tenetur con-
ferre reli-
quis.*

nerentur, quos suum erat ut conse-utus
esset, id reliquis non communicandum,
neque etiam ab hypothecariis repetendum
est, nisi hypothecæ rerum immobilium
fuerint, quod jura omnibus vigilantibus,
non dormientibus opitulentur.

FORMA EXECU- TIONIS TAM IN CIVILIBUS QVAM IN CRIMINALIBUS.

*Solutionis
spatium possi-
latam sen-
tentiam.*

XXI. In actionibus personalibus, si solutio
aut satisfactio alicui injuncta sit, nisi spatium mensis
proximè sequentis satisfecerit debitor, in duplum;
si nec intra alterum mensem paruerit aut senten-
tiæ steterit, in triplum mulcabitur. Si nec intra
tertium, banno feriatur: triginta diebus in singu-
los menses à die sententiæ latæ computatis, qui
dies ab hoc computato excludetur.

*Immissio in
bona debito-
ris.*

XXII. Et licitum erit parti vincenti judicis
officio implorato ejus possessiones ingredi, & sibi
pro debitis, vadiis & impensis satisfacere ad extre-
mum quadrantem.

XLIII. In

XLIII. In realibus nisi intra mensem is, qui *Bona debito-
ris non sol-
venis.*
succubuit, sententiæ paruerit, judex vincentem in
bona victi intromittet damnaque & impensas omnes
ex bonis dicto refundi faciat.

XLIV. Electio erit victoris, litem obtinentis *Optio credi-
toris litem
obtinens.*
quænam bona mobilia, aut iis deficientibus, im-
mobilia apprehendere velit, undè sibi satisfieri
faciat.

XLV. Qui autem in ære non habet, & rem *Non habens
in ære, cor-
pore luat.*
suam petulanter decoxit, in corpore luat, & sessione
turris puniatur.

XLVI. Instrumenta liquida & quarentigiata, *Decisoris
quarentigiata
si exequutio.*
quæ in judicio facta sint, ut sunt: Oppignoratio-
nes rerum immobilium, aut debita coram judicio
contracta, præviâ unâ monitione debitoris para-
tam executionem merebuntur.

XLVII. In Criminalibus si reus post senten- *Pœna pro-
fugi conde-
mnati.*
tiam profugerit, tanquam convictus & confessa-
tus, à tempore susceptæ fugæ pro bannito & pro-
scripto æstimabitur, & tam ipse quàm bona ipsius
ab omnibus promiscuè, impune & licitè offendi
poterunt.

XLVIII. Executioni violenter resistentes, *Executioni
resistentium
pœna.*
sivè sint principales, sivè socii, sivè complices sivè
ministri, sivè alii quicumque, capite plectantur.

XLIX. Non autem à proscriptione per Prin- *De proscri-
ptorum resti-
tutione.*
cipem absolvatur absque consensu partis jure vin-
centis

centis & laesa, eorumque omnium, quorum inter-
est, proscriptum à proscriptione non liberari.

*Proscripti
non excipi-
endi hospi-
tio.*

L. Nemo proscriptos aut bannitos hospitio
excipiat, nemo victum & amictum vel res alias ne-
cessarias eis suppeditet sub simili poenâ, quâ ipsi
banniti afficiuntur.

DE POTESTATE PRIVA- TA, ET CONTRACTI- BUS.

*Potestas Do-
minorum in
mancipia.*

LI. Prima Potestas privata est Dominorum
in homines proprios, sive rusticos.

*Mancipios
qui ?*

LII. Homines proprii sunt, qui in agris
Nobilitatis ex hominibus nostris propriis maribus
concepti nascuntur, utcumque ex matre nascuntur
liberâ.

*Mancipam
eductio.*

LIII. Si tales homines mares sine voluntate
Domini sui ad alios transfugerint, cum omni re
suâ familiari, quam secum advexerunt, & cum
liberis post fugam natis, & cum omni incremen-
to rerum suarum reddi debebunt.

*Fugitivorum
mancipum
nulla est
proscriptio.*

LIV. Adversus tales fugitivos sive mares sive
foeminas nullus sit proscriptio loci. Homo enim
proprius in pleno jure Domini constitutus, si fu-
gitivus

gitivus fiat, perinde ut liber homo, gentium jure,
nullo tempore praescribi debet.

LV. Quod si homo vel homines tales fugi-
tivi invicem repetantur, nec confestim restituan-
tur, Judex cujusque loci competens, fugitivos
sub poenâ quadringentorum florenorum Dominis
suis à detentoribus reddi praecipiet, & efficiet sub
poenâ quinquagintâ Ungaricalium adversus Judi-
cem negligentem statuendâ.

*Fugitivi
mancipis &
detentoris
poena.*

LVI. Sin autem post tempus repetitionis &
restitutionis non secuta homo vel homines fugiti-
vi sese inde quoque, unde repetuntur, subduxerint,
vero Domino fugitivorum omnia damna ac decre-
menta arbitrio judicis refundat.

*Poenâ de novo
fugientis
mancipis.*

LVII. Si è faminis quaedam relicto territo-
rio Dominorum suorum nuptiarum causa aliò se-
contulerit, repetitio cessabit.

*Mancipis fe-
mina nulla
repetitio.*

LVIII. Nullus horum priorum homi-
num filios suos sive pro literis discendis vel pro o-
pificio exercendo, sine licentia domini sui, peregre
amandabit.

*Mancipum
filii sine
consensu Do-
minorum
neque literas
neque opif-
cia addi-
scunt.*

LIX. Si contigerit, hominem unius delin-
quere in hominem Domini alterius, atque is de suo
homine conqueratur, multa non erit domini,
sed ejus qui ab altero homine fuerit coesus.

*Multa la-
dentiam al-
terius fami-
liam.*

LX. Si vidua unius Domini nupserit viro
alterius

Mancipis

vidua alio nubentis ratio. alterius, ipsa quidem novi mariti forum sequetur, sed liberos omnemque rem familiarem vero Domino relinquat, dote tantum suâ arbitrio Domini secum acceptâ: & si res plures avexerit, quàm quæ debentur, tam ipsa, quàm vectores & opitulatores pœnâ furti puniantur.

Fugitivi mancipis apprehensio licita est quomodo. LXI. Licitum unicuique erit, fugitivum suum in alterius territorio deprehensum prehendere, ibidemque Domino illius territorii sistere ad repetendum. Invito autem ejus territorii Domino eum abducere non debet, sub amissione juris sibi in fugitivum competentis: excepto casu, si quis fugitivum suum in continenti, hoc est, spatio 24. horarum insequatur, tunc enim fugitivum suum, in fugâ deprehensum, etiam ex alterius territorio domum reducere impunè poterit.

Pœna domini deserentis mancipem. LXII. Qui tempore famis homines suos proprios deseruerit, illique se aliò receperint, omni jure pristino, quod in eos habuit, privari debet.

Mancipes sine iudicio particulari non plectendi est plectentium pœna. LXIII. Nemo etiam quenquam ex hominibus propriis pœnâ sivè corporali sivè mortis afficiat sine iudicio, hoc nomine constituto, sub pœnâ centum florenorum.

Mancipibus leges dare licitum. LXIV. Potest quilibet Dominorum hominibus suis propriis, sub se constitutis, peculiares leges statuere, juri tamen publico salvo.

PRO-

PROXIMA EST PATRIA POTESTAS IN LIBEROS.

LXX. Liberi igitur ob patriam potestatem, in quâ potestate constituti sunt, sine consensu parentum matrimonia non inibunt, sub pœnâ exheredationis, si nimirum parentes justam contradictionis causam præ se tulerint. *Matrimonia absque consensu parentum non licita sub pœna exheredationis.*

LXVI. Si vir cum duabus simul, aut quædam femina cum duobus uno tempore sponsalia de presenti contraxerit, & prioribus neglectis posterioris forum & concubitus secutus secutaque fuerit, infamis esto. *Pœna Polygamia?*

LXVII. Partus septimo mense editus, pro genuino; undecimo autem post abitum vel obitum Mariti genitus, pro illegitimo æssimari debet. *Partus legitimus illegitimusque.*

SEQUITUR POTESTAS TUTELARIS.

LXVIII. Pupilli usque ad annum Vigessimum primum: furiosi autem in perpetuâ tutelâ, donec morbus perfiterit, esse debent. *Pupillorum et furiosorum Curatelle tempus.*

LXIX. Horum tutores, si testamento parentum nulli dati sint, agnati proximi erunt, unâ cum *Pupillorum curatores qui est quomodo dandi.*

cum matre, quamdiu ad secunda vota non tran-
sierit, ac nisi vel isti vel hæc suspectæ fuerint, quo
casu Princeps pupillis tutores constituet.

*Tutoris sti-
pulatio.*

LXX. A Principe dati rem pupillorum per
omnia salvam fore, promittere tenentur.

*Pupilli in
propriam
detrimentum
nihil
facere pos-
sunt.*

LXXI. Sinè autoritate Tutorum pupilli ni-
hil vel in iudicio, vel extra illud, statuere debent
vel possunt, quod ad detrimentum illorum spectet,
secus quod ad commodum & incrementum ipso-
rum.

*Tutori res
pupillorum
emere prohi-
betur.*

LXXII. Tutor emere volens res immobiles
pupilli, aut alio modo cum Contutoribus contrahe-
re, non nisi re à Principe benè excussâ ac decreto
præcedente, id facere poterit.

*Tutoribus
cum pupillis
matrimoni-
um inire
prohibitum.*

LXXIII. Matrimonium autem ipsorum Tu-
torum cum pupillis omnino vetitum erit, ne li-
beri tutorum cum pupillis parentum suorum alio
modo nuptias inibunt, nisi Principis autoritas
intervenerit.

*Pœna deci-
piens pu-
pillum.*

LXXIV. Qui in contrahendo minorem vi-
ginti uno anno circumvenerit, ex eo contractu
non modo nihil utilitatis percipiet, sed etiam pro
ratione fraudis arbitrariis pœnis affici debet.

*Tutorum cu-
ra in rebus
pupilli uten-
tibus.*

LXXV. Tutores res pupillorum suorum, quæ
servando servari non possint, distrahere, & quo-
tannis rationes suas conferre tenebuntur.

LXXVI.

LXXVI. Omnes Tutores de rebus admini-
stratis in solidum tenentur, nisi quis malè admi-
nistrantem suspectum fecerit, & fidem suam libera-
verit.

*Singuli Tu-
tores de re-
bus pupilli in
solidum tenentur.*

LXXVII. Suspecti maleque versantes in re-
bus pupillorum, etiamsi ad satisfactionem sese ob-
tulerint, officio tamen privandi sunt.

*Suspecti Tu-
tores remo-
vendi.*

LXXVIII. Tutorum bona à tempore, quo
administrationem susceperunt, ipso jure pignoris
nexu administratæ tutelæ causa oblata sunt, ex qui-
bus pupilli in concursu creditorum ante reliquos
creditores, quod suum erit, consequi debebunt.

*Tutorum bo-
na pupillæ
obligata.*

LXXIX. In potestate etiam suâ, non in do-
minio alicujus sunt res, quæ cuivis quoquo modo
serviunt, veluti ex quibus usus fructus debentur.

*Ususfructus
Dominium.*

LXXX. Usufructuarius igitur cavere debet,
se boni viri arbitratu re usufructuariâ usurum sine
detrimento Domini directi, ita prorsus, ut neque
Domino neque rebus ipsis quicquam decedat, sub
pœna damni, quodcunque inde mors erit, pen-
sandi.

*Usufructua-
rii cautio.*

LXXXI. Usufructuarius item ædificium,
quod in alieno fundo, ex quo usumfructum per-
cepit, extruxit, finito usufructu tollere, nec ipse,
nec hæredes ejus debent, nisi talem protestatio-
nem à principio fecerint, ut tollere hoc ei liceret.

*Usufructus
melioratio
ad quem
spectet.*

LXXXII.

*Ususfructus
abusus.*

LXXXII. Cui quoque usus certus alicujus rei aut habitatio relicta est, extra modum præscriptum re usufructuaria abutens ad damni restitutionem tenebitur.

*Servitutum
limites.*

LXXXIII. Cui præterea iter, jactus aut via per agrum alterius concessa est, ita iis omnibus utatur, ne segetibus aut pratis damna inferat, sub poenâ refusionis damnorum.

*Via publica
non transponenda.*

LXXXIV. Via, quæ publica semper fuit, arbitrio privatorum aliò transferri aut immutari non debet, sub poena centum thalerorum, & ea mutatio, quæ facta fuit, in pristinum statum reducenda.

*Piscatio lit-
tus attingen-
tium est.*

LXXXV. Piscari in mari, retiaque sua exponere in quolibet littore unicuique liberum erit, cujus prædia ad littus maris pertingunt.

*Piscationis
& lignatio-
nis abusus.*

LXXXVI. Cui piscatio aut lignatio in alieno stagno aut sylvis debetur, eâ non abuti debet, sub poenis capitaneorum arbitrariis in abutentem statuendis.

*Stagna non
restringen-
da.*

LXXXVII. *Stagna libera & communia ad piscandum constringi non debent à quoquam, quominus unicuique eorum piscationi incumbere liceat, qualia sunt: Durbenſe, Witgalenſe, Argalenſe, Osmatenſe, Libawſee, Degerbofedenſe. Quorum Stagnorum effluxus neque molendinis neque ullis aliis obstaculis præpediri debent, quominus piscibus*

scibus accessus & recessus liberrimus permittatur.

LXXXVIII. Quibus jus apiarii vel alvearii <sup>Alveariorum
usus.</sup> in alieno solo aut sylvis competit, mella quidem capere, sed arbores destruere non debent, sub poenâ decem thalerorum, & ejus juris, quod in cæteris arboribus ejus vel fundi vel sylvæ habuit, amissione. Mella autem justo tempore præſente Domino sylvæ eximere, eique vendere tenebitur, unumquodque pondo (Liespfund vocant) tribus marcis Rigenſibus.

LXXXIX. In arbitrio quoque Dominorum <sup>Arbitrium
Dominorum
in arboribus
melliferis.</sup> erit, arbores melliferas redimere, si ei, cui servitus debetur, permittere nolit.

XC. Donationes omnes, etsi licitæ sint, tamen cum quandam sapiant prodigalitatem & suspicionem, quod fraudibus & blanditiis extortæ magis quàm ex amore impetratæ sint, idcirco donationes omnes excedentes summam 500. florenorum polonicalium, nonnisi publicâ insinuatione judiciali præcedente, permitti, aut à successoribus donatoris agnosci, si nolint, debent, quia & ipse donator, nisi præcesserit insinuatio, poenitendi ac repetendi donationem facultatem habebit.

XCI. Donationes vel ab his factæ, qui liberos non habebant, vel satis opulenti erant, cum donarent, liberorum partu aut calamitate aliquâ superveniente, restitui debent. <sup>Donationes
pauperis re-
tractantur.</sup>

Donatarii ingratitude tollit donationem. XCII. Quin & ob ingratitude[m] donatarii donatorem contumeliâ afficientis aut deserentis in periculis constitutum, revocari debet donatio.

Pecunia mutua servitur. XCIII. Servit præterea quibusdam pecunia, quæ ex mutuo ad eos pervenit, etiam ex dominio ipsius pecuniæ ad nos translato : itaque bona fide mutuum reddi debet, ut à tempore moræ, quo redditum non fuit mutuum, loco damni emergentis & lucri cessantis ac poenarum in contractu appositarum actio creditori detur.

Mutui reddendi qualitas. XCIV. Si species certæ acceptæ & in stipulationem deductæ sint, ut eadem restituantur, servanda erit lex contractus, etiam si æstimatione specierum creverit : si autem hoc in stipulationem deductum non fuerit, creditor contentus esse debet, si æstimationem specierum ejus temporis fuerit nactus, quo nutuum numeravit.

Commodati usus & qualitas. XCV. Non tamen Cuprum aut æs, vel aliam materiam pro argento & auro Creditor accipere tenebitur à debitore, sed monetam probam in Regno probatam & receptam, & quæ mutuo commercio sine damno accipientis exponi possit, non verò vilem aut vilissimam.

Poenæ abstantis res alienas mutua accepit. XCVI. Rebus alienis quocunque modo ad serviendum commodatis, si quis aliter quàm bona fide utatur, quod eas invito Domino ultra legem commodati graviter attrectet, vestimenta nobiliora, suppellectilem, equos & similes res pretiosas distra-

distrahens vel dividens, furti crimen committit. Itaque restituere non modo res commodatas integras, vel precium earum refundere, sed & propter magnum abusum arbitrio Judicis mulctari debet.

XCVII. Res depositæ, si citra depositarii culpam, furto, incendio, ruinâ aut simili fato interierint, extra noxam erit depositarius, si eam, quam suis rebus impendere solitus sit, diligentiam adhibuerit. *Res depositæ abusus & deterioratio nis poena.* Quod si autem rem depositam apprehenderit, inque suos usus converterit, furti tenebitur actione civili ad pœnam arbitrariam & ad hoc, quod interfuisse constiterit, deponenti, rem depositam relictam fuisse intactam.

XCVIII. Pignus sive judiciale sive conventionale fuerit, si citra culpam creditoris interierit, damnum debitor agnoscere, & nihilominus debitor creditori refundere tenebitur. *Pignoris interitus ad quem pertineat?* Secus erit, si culpâ creditoris pignus vel deterius redditum sit, vel destructum: quo casu pignoris & crediti compensatio fieri debet.

XCIX. Res aliena sine consensu Domini pignori dari non potest, sed semper vero Domino repetitio concedatur. *Pignoratitio rei alienæ invalida.*

C. Si debitor constituto tempore debitum non solvat, creditor pignus non privatim distrahere, sed autoritate judicis æstimationem imponere atque vel retinere in solutionem, vel vendere poterit. *Pignoris distractio ad judicem spectat.*

Conventio de pignore commisso quomodo valeat.

CI. Conventio talis, ut certo tempore pecuniâ non solutâ pignus in commissum cadat creditori, admitti non debet, nisi pignus æstimatum creditori datum fuerit.

Emptionis & venditionis ratio & qualitas.

CII. Emere & vendere omnes promiscuè possunt, qui liberam, non adstrictam rerum suarum facultatem habent: venditio tamen rerum immobilium, eorundemque impignoratio, non nisi in iudicio fieri, & libris publicis inscribi debet.

Emptor uter præferendus.

CIII. Si rem unam duobus vendi contigerit, is, cui traditio facta fuit, alteri erit præferendus: Venditor tamen emptori, cui rem venditam tradere non poterit, ad interesse contractus non impleti tenebitur.

Eviçtio rei vendita præstanda & lis denuncianda venditori.

CIV. Venditor emptori ad Eviçtionem tenebitur, & si eviçtionis pactum in ipso contractu non sit appositum, idcirco emptor de re, quam emit, conventus litem venditori suo confestim denunciabit, quod nisi fecerit, & rem emptam iudicis sententiâ amiserit, venditor ab ipsius impetitione per omnia liberabitur.

Venditoris bona fides requiritur.

CV. Venditor rei vendita defectus omnes bonâ fide patefacere, nihilque eorum omnium celare debet: quæ si emptor ab initio cognovisset, rem emere nunquam attentasset.

Pœna ven-

CVI. Quod si venditor vitiorum quidquam **celat**

celaverit emptorem, rem venditam recipiet, ac ^{ditoris celantis vicium.} precium restituet.

CVII. Porro, si quis fraude Venditoris ad rem aliquam magnam quingentorum florenorum precium excedentem emendam inductus ultra dimidium iusti precii deceptus fuerit, propter ingentem deceptionem contractus ad æqualitatem, & precium ad id, quod iustum & æquabile iudici videbitur, reducendus, aut, si id facere venditor recusaverit, emptio & venditio rescindenda erit, eatenus tamen ut hæc læsio intra annum & diem in iudicium deducatur.

CVIII. Maritus bona immobilia uxoris, aut Pater prædia bonaque materna liberorum suorum vendere alienareve non potest. ^{Bona Uxoris & liberorum non distrahenda.}

CIX. Res quæque furtivæ aut vi raptæ vendi non possunt, quo minus à veris Dominis quovis tempore repetantur. Homines ignobiles & peregrini pro indigenis non recepti nobilium bona emere vel possidere non debent sub amissione bonorum. ^{Rei furtivæ aut raptæ repetitio.}

CX. Res alienâ pecuniâ emptæ emptoris fiunt, non ejus, cujus pecunia comparatæ sunt, cui non pignori quidem sunt obligatæ, nisi id inter creditorem & debitorem convenerit. ^{Emptio ex ere mutuo cui cedat?}

CXI. Mercatores extra forum publicum in familiis rusticorum res corradentes mercibus & rebus ^{Pœna mercatorum surreptitiorum.}

rebus omnique substantiâ, quàm secum ferunt, preventur.

Oppignarantur res in domum locatam inducuntur.

CXII. Ejus, qui domum vel prædium conduxit, res universæ, quas intulit in prædium vel domum conductam, locatori ipso jure tam pensionis vel census cessantis, quàm damni emergentis nomine sunt obligatæ.

Pœna Conductoris fundum alienum arantis & seminantis.

CXIII. Conductor autem aut quisvis alius arans ac seminans fundum alienum non conductum, si juraverit, se id ignorantia fecisse, impunè id feret, & fructus dimidios suos faciet; si sciens, fructibus non modo carebit, sed & arbitrariè pro quantitate fundi punietur.

Pœna mancipis, fundos Domini elocantis.

CXIV. Rustici agros vel fundos & prata sua sine scitu Dominorum suorum rusticis vicinis vel aliis permittere vel elocare non debent, sub pœnâ amissionis fructuum.

Prædia emphyteuseos jure locari possunt.

CXV. Emphyteuseos jure locare alteri possunt Nobilitatis prædia perpetuo fruendo, ut quamdiu pensio præstetur, conductor, ejusvè hæres, aut qui ab his causam habet, expelli nullo modo possit.

Pœna non servantis contractum locationis.

CXVI. Qui locationi non stetit, damna omnia conductori refundat, & si precium locatum, nec conventio servata fuerit, redditus unius anni conductori cedent.

Pœna Conductoris.

CXVII. Conductor legem contractui dictam non

non servans, & precium annuum non præstans, à contractu cadat.

CXVIII. Si domus incendio citra culpam conductoris combusta fuerit, damnum ad Domum non ad conductorem spectabit: Secus, si ejus aut familiæ ipsius culpa id sit factum. *Domus incendio conductoris sumptibus ejus clales.*

CXIX. Sterilitas prædiorum unius anni cum fertilitate sequentium annorum penabitur. Quod si verò militum devastationibus aut tempestatibus res omnes ad eum planè modum perditæ, aut consumptæ fuerint, ut nulla utilitas ad Conductorem pervenerit, judicis arbitrio precium locationis moderandum est. *Sterilitas prædiorum cujus sit.*

CXX. Opifices, coriarii, fullones, aurifices, & cæteri omnes res ad parandum aut reficendum commissas integras reddere tenebuntur: exceptis casibus fortuitis, quos humanâ industriâ præcavere non poterunt. *Opifices quomodo ad reficendum obligentur?*

CXXI. Certum quoque molitoribus precium constitui debet, ultra quod si quocunque prætextu sive munerum sive largitionum aliquod extortum aut receptum fuerit, à molitoribus ejus, quod acceptum tulerunt, quadruplum restituere tenebuntur. *Molitorum merces & pœna.*

CXXII. Societatem prædiorum, mercimorum, aut rerum aliarum invicem colentes ad omnia tenebuntur, quæcunque ministri illorum *Societas rerum certarum.*

communes in illâ societate ipsorum nomine con-
traxerint respectu societatis ejus, non autem extra
eam. Item omnia lucra non minus quam emolu-
menta inter eos erunt communia, nisi aliud â prin-
cipio fuerit constitutum, coire nempe Societatem
possumus, & unus lucri duas partes, damni tertiam
ferat, alter duas damni, lucri verò tertiam, quod
unius opera præciosior esse possit alterius, pactum
autem de solo lucro capiendo, nec damno portan-
do reprobabitur.

*Mandatarii
industria.*

CXXIII. Qui mandatum alicujus rei perficē-
dæ in se recepit aut mature (cum scil. res inte-
gra erit,) renunciare, vel mandatum implere, vel
damna non servati contractus præstare tenebitur.

*Mandatarii
spontanei li-
mises.*

CXXIV. Qui absentis negotia sine manda-
to gerenda suscepit, non modò eam diligentiam,
quam in rebus-publicis consuevit, sed & quam di-
ligentissimus quisque usurpare solitus fuit, præsta-
re debet. Propterea quod ea, quæ intermittere po-
tuisset, absque mandato, suâ sponte suscepit, & se
ad exactissimam diligentiam adstrinxit.

*Contractu-
um innomi-
natorum na-
tura.*

CXXV. In contractibus quidem, quibus no-
men certum datum non est, quales sunt: do ut des,
facio ut facias, facio ut des, do ut facias, & similes,
actio in factum juxta præscriptum verborum utrin-
que danda erit, â quibus contractibus re integrâ re-
filiri utrique parti licebit.

CXXVI. Pacta

CXXVI. Pacta ac transactiones omnes, mo-
do non sint turpes & illicitæ, aut fraudulentæ, vel
dolo metuque extortæ, per omnia servantur, & qui-
bus etiam nudis promissionibus & pactis adversus
violatorem pactorum & promissionum actio & ex-
ceptio dari debet ad id, quod interest, pactis non
servatis satisfactum fuisse.

*Pacta &
transactiones
servanda.*

CXXVII. Pactum aut promissum, etiam ju-
ratum, latronibus factum (cum juri divino, quo
latrocinia vetantur, sit contrarium) ipso jure nul-
lum est, ideoque servandum non erit.

*Pactum cum
scelerato iu-
ritum.*

CXXVIII. Qui fidem suam in contractibus
pro alio interposuit, tamdiu ipse & hæredes ipsius
obligati erunt, quoad contractibus per omnia sa-
tisfactum sit, nisi forsan ad certum tempus fidejuf-
ferit, & creditur elapso tempore debitori solutio-
nem distulerit.

*Fidejussorum
obligationes
quousque se
extendant.*

CXXIX. Executi tamen prius debitores de-
bent, quàm ad fidejussores deveniatur, nisi huic
beneficio renunciaverint, aut debitor adeò sit po-
tens, ut â Creditore excuti non possit, quo casu fi-
dejussores non immeritò confestim sine compel-
lacione principalis debitoris conveniendi sunt.

*Excussio
principalis
debitoris an-
te fidejusso-
rem.*

CXXX. Habent divisionis beneficium plures
fidejussores, nisi ei sit renunciatum: quo casu sin-
guli hæredesque eorum in solidum tenebuntur.

*Beneficium
divisionis
competit fi-
dejussoribus.*

F 2

CXXXI. Si

Solutio particularis re-velat fidejussorem à sua portione. CXXXI. Si Creditor ab uno fidejussorum partem ratam receperit, nec protestatus fuerit, quod hâc particulari receptione obligationem dissolvere nolit, ei ad eundem fidejussorem de residuo, recursus postea non dabitur.

Fidejussorum regressus ad principalem. CXXXII. Fidejussoribus actio adversus Principalem debitorem dari non debet, antequam ipsi solutionem fecerint, vel ad eam faciendam iudicio condemnati fuerint.

Nautum pro transportatione præstandum. CXXXIII. Nautis pro transportatione & transvectione hominum, equorum & mercium, certum precium autoritate Capitaneorum singulorum locorum constitui debet: nec prætextu hujus precii nautici vestigialium onera obrudantur.

Pœna non reparantium pontes & vias publicas. CXXXIV. Pontes & viæ publicæ ubivis reficiantur à Dominis fundorum, sub poenâ quinquaginta florenorum toties, quoties huic legi statum non fuerit.

Finium collatorum reparatio. CXXXV. Vicini, quorum prædia sunt contigua, singulis bienniis terminos agrorum suorum conjunctim inspicere, & collapsos renovare tenebuntur, sub poenâ 20. Ungaricalium toties, quoties fuerit contraventum.

SE-

SEQVUNTUR EXCEPTIONES, QVIBUS OBLIGATIONES PERIMUNTUR, ET PRÆSCRIPTIONES.

CXXXVI. Tolluntur actiones & obligationes solutionibus: si reverà præstentur, non, si pecunia offeratur tantum. Quare, si solvere paratus est, pecuniam obignare & deponere in iudicio, ac re ipsâ contestari debet, quantopere cupidus sit fidei suæ dissolvendæ, quo pacto pecuniam deponens ab omni damno, & eo, quod interest Creditoris, se immunem præstabit.

CXXXVII. Aliud pro alio, merces nempe aut frumentum pro pecuniâ creditori obrudi non potest: nisi tanta sit inopia debitoris, ut pecunia destituatur, id quod jurejurando comprobandum est.

CXXXVIII. Quodsi talis quoque novatio intercesserit, quâ vetus obligatio tollatur, actio prior extincta censetur; secus si nuda quædam pacta inter creditorem aut debitorem facta sint,

F 3

Prior

Prior autem obligatio per expressum sublata non fuerit.

Acceptilatio enervat actionem. CXXXIX. Acceptilatione ejus, quod debebatur, tanquam imaginaria solutione obligationes perimuntur.

Compensatio tollit obligationem. CXL. Debiti quoque liquidi ad liquidum compensatione tollitur, non contra ejus, de quo nondum liquet, quid quantumque debeatur, admittenda est.

Delegatio tollit obligationem. CXLI. Delegare quoque possumus, hoc est, nostro nomine alium reum dare creditori, ut obligatio tollatur.

Confusio obligationem tollit. CXLII. Confusio obligationum & jurium fit, quando eadem fit persona creditoris & debitoris, cum nimirum debitore defuncto creditor hæres existit.

Obligatio dolo metu extorta nulla est. CXLIII. Quodsi etiam dolo vel metu ad contrahendum conducti sumus, quodcumque inde gestum profectumque est, iudex ratum non habebit, modo revera dolo, vis item & metus talis intercesserit, qui in constantem quoque virum cadere possit; idque partim arbitrio iudicis ex rerum circumstantiis rem perpendentis, aut conscientiam metum aut vim passi comprobandum erit.

Exceptio non numerata pecunia. CXLIV. Si pecunia quoque promissa nec numerata fuerit a creditore, omnis repetitio cessat,

sat, quæ exceptio intra annum est opponenda, si modo opponi poterit.

CXLV. Similiter & pactum de non petendo simpliciter, aut de non petendo ad tempus obligationem, aut perimit aut suspendit. *Pactum de non petendo in initium.*

CXLVI. Qui re, tempore, loco & causa plus petierit, quam eum petere oportebat, ejus, quod petiit, dimidio privandus, & nihilo secus tempus, locus & causa uniuscujusque rei erunt servanda. *Plus petitionis poena.*

CXLVII. Scutum adversus omnem actionem & obligationem longe firmissimam est res iudicata: item Transactio & iuramentum, quibus omnis obligatio penitus tolli & extinguatur. *Res iudicata transactio & iuramentum tollit etiam obligationem.*

CXLVIII. Nec maritus pro Uxore, nec Pater pro filio, nec frater pro fratre & viceversa, nec uxor pro marito, nec filius pro Patre, nec frater pro fratre tenebitur: nisi in communi bonorum versentur, aut alter alterius hereditatem adierit. *Quomodo maritus, uxor, filius, pater obligentur.*

CXLIX. Sex mensium prescriptione verbales injuriæ, scriptæ vero annali spatio tolluntur; tempore a scientiæ initio computato. *Prescriptio injuriarum verbalium.*

CL. Verbalis itidem fidejussio, quæ in scriptis redacta non est, anno expirat. *Prescriptio verbalium Fidejussoris.*

CLI, Res

Præscriptio rerum immobilium. **CLI.** Res immobiles inter præsentis sexennio, inter absentes duodecim annis præscribuntur.

Præscriptio rei emptæ vitiosa. **CLII.** Rem vitiosam emens intra sex dies Judicis definitione exhibere vel retinere tenebitur.

Præscriptio actionum Civilium. **CLIII.** Actiones omnes civiles quinquennio tolluntur, intra quod spacium nisi quis Instrumentis & obligationibus, alioque jure suo usus fuerit, ab omni actione cadet.

Præscriptio actionum criminalium. **CLIV.** Criminales sexennio tolluntur, excepto crimine læsæ Majestatis & perduellionis.

Præscriptio contra quos non datur. **CLV.** Præscriptio autem non currit contra pupillos & furiosos, item contra agere non valentes, quin & belli quoque tempore cessat.

Præscriptio honorum dotalium & limitum. **CLVI.** Neque bona dotalia uxoris pignori data, aut cum pacto reluendi vendita, neque fines certis limitibus ac literis determinati ac circumscripti ab usurpatore alienorum limitum & litigiosarum possessionum præscribuntur, quod malæ fidei possessor rem alienam, ad se non pertinentem, usurpans nullo tempore præscribat, nec etiam fructus perceptos suos faciat.

Præscriptio continuatæ possessionis. **CLVII.** Quæ autem tanto tempore, cujus memoria non extat, possessa sunt, omni vitio prorsus carere, & possessoribus restitui, aut oblata tanquam Dominis restitui debebunt.

CLVIII. Præ-

CLVIII. Præscriptio interrumpitur, si possessio fit litigiosa, si possessor de malâ fide, & quod injustè possideat, compellatus fuerit. *Præscriptio- nis interruptio.*

CLIX. Executio rei judicatæ nisi intra annum petatur, non petens jus suum perdit. *Interruptio Executionis.*

CLX. Rationibus semel explicatis ac receptis intra biennium calculi exceptio opponi debet, nisi fraus aliqua emerferit, de quâ, qui calculum fecerant eo tempore, neque in præfato biennio notitiam habuerunt, idque jurejurando comprobandum sit. *Interruptio rationum.*

DE RESTITUTIONIBUS IN INTEGRUM.

CLXI. Adversus omnes omnium Contractuum & conventionum læsiones ex justis gravibusque causis in integrum restitutio omnibus, eam intra annum petentibus, danda est; exceptis pupillis & minoribus, quibus triennium dari debet, postquam ad ætatem juvenilem 21. ætatis annum pervenerint, & intra annum ætatis 24. restitutionem petere possunt. *Restitutio in integrum quibus competat?*

G

CLXII. Fi-

*Fidejussoris
minorennis
restitutio
qualis?*

CLXII. Fidejussori minoris restitutio nihil prodest, nisi æquè fidejussor & minor dolo circumventus ac deceptus fuerit, quo casu non modò minori, sed & fidejussori subveniendum est, etiam si contractus jurejurando sit comprobatus.

Juris jurandi limites.

CLXIII. Jusjurandum enim ad ea tantum se extendit, de quibus tam minor quàm fidejussor, cum contraherent, verisimiliter cogitarunt, non ad dolum, quo sint circumventi, & ad contrahendum & jurandum inducitur.

In minorum delictis nulla immunitas.

CLXIV. Non succurritur minori viginti annis in delictis, dolo commissis, modo sit sedecima annis major.

DE SUCCESSIO- NIBUS.

Hæreditatis delatio.

CLXV. Defertur hæreditas vel ex testamento, vel ab intestato.

Testamentum Patris inter liberos firmum.

CLXVI. Testamentum Patris inter liberos conditum, & manu Patris integrè scriptum, servandum erit.

Testamentum Patris non integrè scriptum.

CLXVII. Si integrè scriptum non sit, sed manu suâ & duorum testium subscriptum & subscriptum, æquè ratum erit.

CLXVIII. Te-

CLXVIII. Testamenta omnia pro legitimis habenda sunt, si à duobus testibus subscripta fuerint, sive nuncupativa sint, & à testatore sanæ mentis dictata, aut probata, sive scripta fuerint. *Testamenti subscriptio qualis.*

CLXIX. Testamenta, actis publicis insinuata Castrensibus, à testatore etiam sine testibus pro firmis sunt habenda. *Testamenta insinuata à militibus rata erunt.*

CLXX. Fœminæ honestæ in testamentis idoneæ sunt testes, si præter eas alii non ad fuerint. *Femine quomodo idoneæ testes.*

CLXXI. Si vitium obreptionis aut persuasionis, aut simile quippiam testamento objicietur, id testium jurejurando revelabitur. *Testamenti persuasio.*

CLXXII. Pater sine gravi & justâ causâ, quæ arbitrio judicis definietur, filios & filias in suo testamento præterire, aut expressim exhæredare non potest, salvâ querelâ inofficiosi coram judice competente instituendâ. *Præteritionis causa justa & gravis esse debet.*

CLXXIII. Nec jus primogenituræ in bonis primogenito adimere, & in secundo aut tertio genitos transferri poterit, nisi gravi & justâ causa infirmitatis vel defectus primogeniti. *Jus primogenituræ non sine gravi causa cuiquam adimendum.*

CLXXIV. Nec ita testari potest, ut juri publico in suo testamento præjudicet, quare & bona filiis ex lege publicâ debita ad filios transferre non debet. *In testamentis nihil juri publico derogandum.*

G 2

CLXXV. Si

*In testamen-
tis libera est
patris dispo-
nendi facul-
tas.* **CLXXV.** Si Pater testamento filiabus certam
portionem assignaverit, eâ contentæ esse debent,
ac licebit Patri filiis duplam, filiabus verò sim-
plam assignare.

*Parentes in-
bona libero-
rum sterili-
um in dimi-
diam par-
tem succe-
dunt.* **CLXXVI.** Liberi quoque, si finè liberis
decefferint, testamento suo Parentes excludere non
possunt, sed dimidiam partem illis; fratribus ve-
rò & sororibus vel nepotibus ex illis alteram se-
missim relinquare tenebuntur.

*Parentes in
uni cistili bo-
nis soli suc-
cedunt exce-
ptis legatis
ad pias cau-
sas.* **CLXXVII.** Quod si nec fratres, nec sorores,
aut horum harumque liberos reliquerint, Paren-
tibus omnia permittere debent, solis legatis ad pi-
as causas exceptis, quæ tamen legata semissim hæ-
reditatis excedere non oportet.

*Qui testa-
menta face-
re non pos-
sunt.* **CLXXVIII.** Minores annis viginti, fatui,
banniti, item & proscripsi testamta condere non
possunt.

*Testamen-
tum extra-
nei quomodo
raturum.* **CLXXIX.** Si peregrinus, seu non-incola in
Ducatu testamentum condiderit, testamentum jux-
ta ritum hujus Provinciæ conditum, ratum erit,
ac si de successione ejus in hoc Ducatu lis mota
fuerit, ea secundum morum ac leges hujus Provin-
ciæ determinetur, nisi bona immobilia alibi ex-
tra hunc Ducatum sita, aliis legibus & moribus
subjecta fuerint.

CLXXX. Ab

CLXXX. Ab intestato primus locus in suc-
cessione est descendentium in infinitum, inter quos
fratres & sorores in capita, fratrum autem & so-
rorum liberi cum patruis aut materteris concur-
rentes, in stirpes succedant. *Gradus suc-
cessionum.*

CLXXXI. Lege publicâ filii filiabus, mares *Divisio suc-
cessorum &
quota filio-
rum.*
fœminis sunt præferendi in successione, nimirum,
ut fratres unus sive plures tres partes capiant to-
tius hæreditatis, sorores quartam; ac triplex sit
portio fratrum singulorum, singularumve sororum
simpla.

CLXXXII. Quæ divisio hæreditatis si in-
ter fratres & sorores non convenerit, à proximis *Prælatio
successorum
à quo desi-
nienda.*
agnatis res definiri, eorumque judicio stari de-
bet.

CLXXXIII. Curia autem in eam divisio-
nem non computabuntur, sed primo genito ce-
dent, qui & ipse bona immobilia retinere, & fra-
tribus ac sororibus de suis portionibus satisfacere
debet. *Prælatio cui
in successio-
ne cedant?*

CLXXXIV. Quamdiu autem satisfacere *Jus reten-
tionis in
prædiis.*
non poterit, tam fratribus quàm sororibus, jus re-
tentionis in bonis paternis vel maternis integrum
erit, & alimenta in fratres & sorores facta con-
ferri non debent.

CLXXXV. Liberi diversi matrimonii, bo-
na *Successio bo-
na*

Herorum di-
versi matri-
monii. na sua materna percipient, fratribus & sororibus germanis tantum, non uterinis exclusis.

Patris ad
illa vota
transcuntis
quota. CLXXXVI. Pater ad secunda vota transiens, fortunas suas omnes cum liberis primi matrimonii ex æquo dividere, ac pro ejus portione, quam vel retinere, vel in emolumentum liberorum exponere potest, fructibus eos alere & elocare tenebitur.

Collatio fi-
liorum prio-
ris matri-
monii. CLXXXVII. Patre defuncto, liberi primi matrimonii, quod in dotem atque in mundum muliebrem à Patre ipsis datum fuerit, conferre, & post hanc collationem factam in paternâ hereditate ex æquo cum liberis secundi matrimonii succedere debent.

Collationis
remissio. CLXXXVIII. Quamvis si Pater mundam muliebrem eis condonaverit, præter dotem nihil conferre tenebuntur.

Jus simul-
tanea inve-
stitura inter
Nobiles. CLXXXIX. Per adoptionem licet nobilibus familiis *jus conjunctæ manus* facere, vel cum agnatis cognatisve, vel etiam cum aliis, quo jure si in successione foemellæ excludantur, is qui eo jure succedere vellet, tres totius hereditatis partes foemellis dabit, unam ipse tantum sibi retinebit v. g. si bona æstimentur quatuor millibus, foemellæ tria millia capiant, successor mille. Nec prius cedere bonis aut alimentorum sumptus agnoscere

scere tenebuntur exclusæ, quam ipsis per omnia satisfactum fuerit.

CXC. Habentes cum aliis jus conjunctæ *Bona simul-*
tanea inve-
stitura non
ere alieno
gravanda. manus sine voluntate eorum, quibus is nexus debetur, bona ære alieno onerare non debent. Si enim sine liberis decesserint, & bona ad conjunctæ manus socios pervenerint, nomina, quæ sine scitu & sine consensu eorum contracta fuerint, persolvere non tenebuntur.

CXCI. Jus quoque prothymiseos debetur iis, *Jus prothy-*
miseos qui-
bus compe-
tat. quibus jus conjunctæ manus competit, si scil. intra annum à die scientiæ retractum instituerint, & precium, quod alius revera numeravit, refundant.

CXCII. Jus repræsentationis inter collatera- *Jus repræ-*
sentationis
quousque. les ultra fratrum filios aut filias non servabitur quin nepotes ex fratre cum patruis ad successionem defuncti in stirpes admittentur.

CXCIII. Defuncto marito pacta dotalitia *Pacta dota-*
litia quous-
que. ante omnia servanda erunt, modo juri publico non sint contraria, nec derogent his, quæ lege publicâ successoribus debentur.

CXCIV. Quod si talia pacta non extant, vi- *Vidua libe-*
ra est eli-
gendi portio. dua extantibus liberis, si dotem intulerit, vel eam repetere vel dotalitium, cujus fructus in duplum æquent, reditus dotis sibi vindicare poterit.

CXCV. Si

Vidua non dotata portio. CXCIV. Si dotem non intulerit, capere liberorum partem ex hæreditate mariti poterit, eam scil. quæ filiabus debetur, non quæ filiis.

Uxoris dotalitium ratum. CXCVI. Si maritus uxori Testamento dotalitium aut legatum fecerit, servandum erit.

Optio Uxor in successione. CXCVII. Erit præterea in arbitrio Uxor, vel dotem illatam, vel dotalitium capere, vel portionem filiarum sibi sumere.

Vidua portio in pecunia parata. CXCVIII. Ex pecuniâ paratâ, quæ post obitum mariti in ædibus ipsius deprehenditur, vidua capiet partem decimam, pecora autem & utensilia omnia ex æquo cum filiis vel hæredibus aliis dividet.

Vidua capiat fructus unius anni. CXCIX. Præterea ejus anni, in quo maritus decessit, omnes fructus capiet Uxor: ita tamen, ut unius anni tantum redditus ei cedant, non plures.

Hæreditas defuncti sterilis quomodo capienda? CC. Si liberi non extent, & vir vel uxor alteri superstes fuerit, superstes concurrens cum agnatis defuncti dimidiam partem sibi retinebit, & alteram propinquis defunctæ partis cedit, nisi de jure conjunctæ manus agatur, quo casu quartam partem bonorum defuncti capient.

Divisio reddituum quando facienda. CCI. Reditus autem anni, in quo pars altera defuncta est, penes superstitem remanebunt, neque

neque divisio nisi post annum luctus finitum fiet.

CCII. Jure retentionis viduæ utuntur, donec eis ab hæredibus sit satisfactum. *Jus retentionis viduæ.*

CCIII. Si alii quàm liberi hæredes sunt, prius bona occupare non debent, quàm viduæ per omnia satisfecerint. *Vidua satisfaciendum.*

CCIV. Bona autem viduæ detentricis deteriorare non debent, aut damna data omnia refundant. Secus autem in bonis versantibus judicis officio curator bonorum addatur. Quia & viduæ durante retentionis tempore, sive id totius causæ, sive curatoris nomine pactum fuerit, satisfactione præstitâ rationes edere, atque in iis non ultra, quàm alimenta exposcunt, defalcare tenebuntur. *Deterioratio bonorum retentorum ad quos spectat.*

CCV. Viduæ item matres pupillorum suorum curam gerentes, etsi, quamdiu inviolate manserint, rationes edere obstrictæ non sint, tamen si ad secunda vota transierint, de præteritis annis rationem proximis pupillorum agnatis exhibebunt, ac nisi, quod ipsis ratione dotis, aut dotalitii, aut pactorum, aut alimentorum portione debitum fuerit, decurtabunt, cæteros *Vidua quamdiu filiorum suorum esse possit.*

cæteros vero redditus perceptos pupillis refundant.

Pœna hæredis non indicantis injurias prædecessoris.

CCVI. Sive liberi, sive uxor, sive fratres, sive quis alius hæres defuncti necem, aut graves injurias non vindicaverit, ejus successione, indignus censeri, & si quid ex hæreditate defuncti percepit, ab eo revocari debet.

Arma expeditoria cui debeantur?

CCVII. Arma expeditoria primogenito, aut agnato proximo, juxta morem cujusque loci, ex defuncti hæreditate dabuntur.

Æs alienum ante divisionem hæreditatis liberandum.

CCVIII. Hæreditas nulla est, nisi ære alieno prius deducto.

Pœna Creditorum onerosorum intra dies luctus.

CCIX. Si qui creditores invaserint hæreditatem sine autoritate Judicis, aut hæredes intra 30. dies luctus, molestiâ affecerint, & in exigendo se minus modestos gesserint, jure crediti sui carere debent.

DE

DE DELICTIS & POENIS.

CCX. Delictum est, quod ex dolo vel culpa profectum est. *Delictum quid?*

CCXI. Culpa vel magna vel parva est, cujus noxa in facto, distinctio in arbitrio Judicis consistit. *Culpa in arbitrio Judicis.*

CCXII. Blasphemi in DEUM, Rei item læsæ Majestatis Divinæ & humanæ, Sacrilegi, rebelles, profugi, defectores, proditores, famâ, vitâ & bonis priventur & gladio feriantur. *Pœna læsæ Divinæ & humanæ Majestatis.*

CCXIII. Venefici, parricidæ, incestuosi, incendiarii flammis absumantur, Latrones rotâ plectantur. *Pœna Veneficorum, parricidarum, incestuosorum, incendiariorum.*

CCXIV. Homicidæ dolosi, Virginum ac foeminarum violentè expugnatores, vim in viâ publicâ, vel etiam in privatis ædibus cum armis exercentes, etiam si nemo occidatur, gladio feriantur; alieni thori violatores infames sint. *Pœna homicidarum, raptorum, depraedatorum & adulterorum.*

H 2

CCXV.

Pœna Furum, peculatorum &c.

CCXV. Fures sivè nocturni sivè diurni, peculatores, expilatores hæreditarum, res commodatas perfidè subtrahentes suspendantur: Hominum item Nobilitatis, pecorumque subductores & abigei capite plectantur.

Pœna prædonum & raptorum.

CCXVI. Prædones & raptores & infautores rerum suarum, earum dominium perdant, alienarum autem jure, quod habuerant, priventur, & præter rem invasam aut raptam æstimatione ejus rei invasæ vel raptæ mulctentur; si rapinas iteraverint, sint infames.

Pœna fallitorum, defraudatorum & conturbantium.

CCXVII. Falliti, conturbatores ac decoctores rerum suarum, si solvendo non sint, & summa, in quâ creditores defraudarunt, octo millia florenos polonicos excesserit, vel honore priventur, vel gladio feriantur. Quâ lege non comprehenduntur, qui infortunio facultatum sunt lapsi.

Pœna criminis stellionatus.

CCXVIII. Rem unam sivè in judicio, sivè privatim duobus oppignorans, si solvendo non fuerit, infamis esto.

Pœna stupratorum.

CCXIX. Stupratores honestarum fœminarum vel virginum arbitrio judicis aut dotent, aut ducant.

CCXX. Si

CCXX. Si ignobilis nobilem stupraverit, gladio feriatur, nisi à cognatis ei ignoscatur. *Pœna ignobilis, nobilem stuprantis.*

CCXXI. Contractus vel instrumenta falsificantes, prævaricatores, falsumvè partum supponentes, aut falsum testimonium dicentes, ex quo aliquis vel læsus est, vel lædi potuisset, nisi patrum factum esset, gladio plectantur. *Pœna falsariorum, prævaricatorum, alienum partum supponentium.*

CCXXII. Injuriam semel verbis aut scriptis facientes, si componere non possint, recantent, & æstimationem ejus luant; Si iteraverint, sint infames. *Pœna injuriantium.*

CCXXIII. Famosorum libellorum, chartarumvè scriptores, diffeminatoresque, infames pronuncientur, & si crimini capitale alicui in scriptis suis famosis objecerint, vel rebellionis causa scripta sua composuerint, capite plectantur. *Pœna Passuillantium.*

CCXXIV. Famulos alienos corruptentes, vel sine literis dimissoriiis conducentes, viginti florenis puniantur. *Pœna corruptorum famulos.*

CCXXV. Nemo famulo suo, quem à se dimittit, aliud testimonium det, quàm ejus merita exposcunt: si secus fuerit, ac testimonio suo alios seduxerit, viginti Ungaricos solvat. *Pœna Domini communicantis famulo falsum testimonium.*

CCXXVI. Si

*Pœna rixas
in Symposiis
mouentium.*

CCXXVI. Si quis in præsentia mulierum, aut fœminarum honestarum rixas concitaverit, & plagas alteri intulerit, nisi id suæ defensionis causâ fiat, centum florenis puniatur, & tartisper ab omni honestâ congregatione abstineat, donec multam persolverit.

*Pœna interceptorum
alienas literas.*

